lig. l. 3. c. 16. n. 7. non tantum ob cauſam publicam verum etiam ob privatam, poſſe R. Pontificem licentiam cedendi Epiſcopis concedere, quia vinculum matrimonii ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam contracti abſolute juris divini non eſt.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio refertur, & probatur. EX hoc canone talis deducitur aſſertio: *Qui petiit licentiam cedendi, ex quo illam obtinet, cedere compellitur.* Probant textus *in c. quam periculoſum, 7. q. 1. c. ex tranſmiſſa & in præſentia, hoc tit.* Innocentius noſter *l. 3. ep.* 240. *Nec liberum ſit ſuæ voluntatis arbitrium, in ſuperioris judicium jam translatum; quia frequenter nobis illuderetur a ſubditis, ſi deambulatoria eſſet ſubjectorum voluntas, ad examen conditionis noſtræ delata.* Ivo Carnotenſis *ep.* 131. ibi: *De presbytero qui Eccleſiam quam regebat, nulla cogente neceſſitate in manu tua refutavit.* Et ibi; *Juſtum eſt, ut in judicio, quod de ſe judicavit, permaneat.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti Majolus *de irregul. lib. 3. cap. 6.* Suarez *de relig. libr. 1. cap. 16.* Petrus Greg. *lib. 17. ſyntagm. c. 17.* Cevallos *communium opin. q.* 283. Boſquetus *ad Innocentium l. 3. ep.* 140. Lotherius *tom. 2. de re benefic. l. 3. cap. 17. num.* 34.

4 Hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam in omnibus fere actibus humanis re integra pœnitentiæ locus eſt; unde vendenti ſervum ut manumittatur, ante diem manumiſſioni præfixum licet pęnitere, *l. 1. & ult. C. ſi mancipium, l. mancipia 8. C. qui ſine manumiſſione:* & cedendi bona ſua, ante eorum venditionem pęnitere licet, *l. 3. ff. de ceſſione bonor. l. 2. C. qui bonis cedere.* Nec ſolum in his actibus civilibus, verum & in eccleſiaſticis pœnitentiæ locus eſt, ut in caſibus deciſis *in c. perpetuo 6. c. nulli 8. de elect. l. 6.* ergo illi etiam, qui petiit licentiam cedendi, ante renuntiationem proprii beneficii licet pœnitere. Accedit, nam in Curia Romana, & ejus ſtylo ita obſervari teſtatur poſt Mandoſium & Cevallos Lotherius *d. c. 6. nu.* 34. Augetur etiam hæc difficultas ex eo, quia renuntiandi facultas ſemper conceſſa intelligitur in favorem illius, qui renuntiare cupit, *c. 2. c. niſi 10. hoc tit.* ac proinde nemo renuntiare cogitur. D. Gregorius *l. 2. ep. 41. ad Anatolium.* Sed cuilibet licet juri pro ſe introducto renuntiare, *l. penultim. Cod. de pactis*, cum vulgatis: igitur illi, qui petiit licentiam cedendi, licebit pœnitere: Augetur tandem hæc difficultas *ex c. niſi 10. hoc tit.* in illis verbis: *Quia vero in poſtulando &c.* in quibus deſideratur perſeverantia in renuntiatione petita: igitur ſi pœniteat, non cogetur beneficio renuntiare.

5 Ratio decidendi. Quia dubitandi ratione minime obſtante vera eſt prædicta aſſertio, cujus ratio ex eo provenit, quia variatio maxime in perſonis eccleſiaſticis prohibita eſt, *cap. cum autem 24. de jure patron. c. publicata 58. de elect.* regula *Mutare, de regul. juris in 6.* cum in viro variatio levitatis nota ſit. Seneca *ep.* 35. ibi: *Mutatio voluntatis indicat animum nutare.* Quæ variatio maxime deteſtabilis eſt, cum ex ea ſequitur ſuperioris illuſio, *c. 1. de appellat. in 6. l. 1. C. de appellat. l. ultima, C. ne quid in loco publico.* Unde qui aliquem poſtularunt in Prælatum coram ſuperiore, non poſſunt a poſtulatione diſcedere, *c. bonæ 4. de poſtulat. Prælat.* Unde cum in præſenti caſu, qui renuntiare volebat, jam petiiſſet licentiam cedendi a ſuperiore, non poteſt poſtea cum ejus illuſione, & deciſione pœnitere. Accedit, nam aut cauſa ceſſionis vera fuit, vel falſa: ſi vera, renuntiare cogendus eſt, cum idoneus Eccleſiæ non credatur; ſi falſa, in pœnam quia eam ſimulavit, & falſas preces propoſuit, privandus eſt ipſa Eccleſia, renuntiatione ad effectum perducenda.

6 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat difficultas ſupra expenſa, pro cujus ſolutione diſcrimen eſt conſtituendum inter eos actus, qui a privatorum pendet poteſtate; & inter eos, qui licentia, & ſuperioris auctoritate egent, ut celebrentur. In primis variatio permiſſa eſt, *d. l. 1. C. ſi mancipium, d. l. 3. de ceſſione bonorum:* in illis vero, in quibus ſuperioris auctoritas deſideratur, ne ejus illuſio, ſeu contemptus detur, non ita variatio permittitur; quare cum ad renuntiationem proprii beneficii ſuperioris licentia deſideretur, ea petita non licet petenti pœnitere, ne ſuperior, Pontifex videlicet, illudatur. Nec quod de ſtylo Curiæ expendebamus, adverſatur; quia licet præſens deciſio procedat jure communi attento, & ex ſtricta juris ratione; tamen hodie, attenta communi praxi, licet illi, qui cedendi licentiam petiit, pœnitere, ut teſtantur Cevallos, & Lotherius ſupra laudati. Nec augmentum ipſius difficultatis refragatur; nam licet cuilibet permittatur juri ſuo renunciare; hoc tamen procedit, niſi ex tali renuntiatione ſuperior, qui jam conſultus fuerat, illudatur, *cap. finali hoc tit.* Unde cum in præſenti caſu ſequatur illuſio Pontificis, ſeu Epiſcopi, cujus licentia enixis precibus impetrata fuit, non admittitur renuntiatio etiam juris proprii. Nec tandem adverſatur *in d. c. ſi cum pridem;* nam in eo refertur, nimis diutius Calaritanum Præſulem in impetratione licentiæ ad cedendum permanſiſſe; non tamen ea perſeverantia ut neceſſaria ſupponitur, aut deſideratur.

Adhuc ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. electæ 14. hoc tit.* ubi proponitur Abbatem S. Petri magna ægritudine oppreſſum monachos ſuos ab obedientia ſibi debita abſolviſſe, & Epiſcopum dięceſanum vocaſſe, ut in ejus manibus Abbatiam cederet: poſtea ſaniori conſilio ductus, cedere noluit; quæſtionis fuit coram Honorio III. utrum retinere poſſit prædictam Abbatiam, vel cedere eſſet cogendus? Et reſpondetur, Abbatem retinere poſſe prædictam Abbatiam; ex quo textu expreſſe deducitur, eum qui cedendi licentiam petiit, & pęnituit, cedere non cogi. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, quod licet ille, qui petiit licentiam cedendi, ea impetrata non potuit pęnitere; tamen qui adhuc non impetravit, ſed tantum nuntium miſit ad eam impetrandam, poſſe pęnitere, ea adhuc non impetrata, quia non datur eadem ratio illuſionis ſuperioris; quare cum *in d. c. lectæ*, tantum miſiſſet Abbas nuntium ad vocandum Epiſcopum, ut ab eo licentiam impetraret, recte aſſeritur, ea adhuc non impetrata, poſſe pœnitere, & Abbatiam retinere. Juxta hanc etiam doctrinam accipiendus eſt textus *in Clement. unica, de renuntiat.* ubi aſſeritur eum, qui conſtituit procuratorem ad beneficium renuntiandum, poſſe revocare tale mandatum, quia cum adhuc impetrata non fuiſſet pro procuratorem cedendi licentia, re- ctæ pęnitentiæ locus eſt. Aliaquæ ad ejus textus interpretationem ſpectant de ſcientia revocationis mandati, adduximus *in c. gratum, de officio delegati.* 7 Exponitur c. lectæ, hoc tit.

Secundo adverſatur epiſtola Synodi Epheſinæ ad Synodum Pamphiliæ, quæ refertur a Balſamone in fine Synodi, ubi traditur, Euſtachium Metropolitanum Pamphiliæ libellum renuntiationis coram Patribus dediſſe; & cum Theodorus in ejus locum eſſet ſuffectus, facti pęnituit; & per negligentiam libellum obtuliſſe aſſerens, reſtitui petebat ad ſuam Eccleſiam. Patres Synodi Epheſinæ reſcripſerunt Patribus Synodi Pamphiliæ, ut honorem & communionem illi ſervarent. Ex qua epiſtola aperte deducitur eum, qui petiit licentiam cedendi, re etiam non integra, poſſe redire ad ſuam Eccleſiam. Huic difficultati ſatisfacit Theodorus Balſamon in ſcholiis ad eam epiſtolam, aſſerendo Patres pietate, & miſericordia ductos, Euſtachio honorem, & communionem Epiſcopi conceſſiſſe; non tamen eum reſtituiſſe loco, & admiſtrationi, nec hoc factum poſſe pro lege univerſali accipi cum a Patribus ex œconomiæ, diſpenſationiſque ratione indultum fuerit; nam juxta ea, quæ hoc commentario adduximus, poſtquam libellus renuntiationis oblatus eſt, aut cedendi licentia petita, non eſt locus pęnitentiæ. 8 Exponitur epiſtola Epheſinæ Synodi.

CAPUT XIII.

Honorius III. a *Majoris Eccleſiæ Sancti Ioannis Decano, & Magiſtro C. Can. Sancti Dionyſii Leodien.*

VEniens ad Sedem Apoſtolicam Joannes Pauper Subdiaconus, in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, quod cum bonæ memoriæ I. Papa prædeceſſor noſter dil. f. Abbati de *b* Emenrode, *c* Trever. Diœc. & majoris Eccleſiæ, ac Sancti *d* Pauli Cantoribus Treveren. ſuis dederit litteris in mandatis, ut eidem I. ſi nihil canonicum obviaret, præbendam in Eccleſia S. Florentii in *e* Confluentia, quam Jacobus Decanus ipſius Eccleſiæ in ejus manibus per ſuas litteras reſignavit, ſub. appel. ob. aſſignarent, eodem Joanne litteras ipſas prædicto Decano, & aliis oſtendente, idem Decanus de reſignatione forte pœnitens, occultavit litteras ſupradictas: demum eidem Joanni præfatis litteris reſtitutis, eas nominatis judicibus, ut exequerentur mandatum Apoſtolicum, præſentavit: cumque judices Apoſtolicum vellent adimplere mandatum, quidam ſe oppoſuerunt Canonici Eccleſiæ memoratæ dicentes Subdiaconum memoratum renuntiaſſe juri ſuo, quod ipſi ex ipſis litteris competebat. Dicto igitur Subdiacono hoc negante, jamdicti Canonici teſtes ad hoc probandum aliquos produxerunt: Per quos cum videretur probatum, Joannem ſe gratiæ Capituli commiſiſſe, duo judicum prædictorum, Cantores videlicet Treveren. ſententialiter decreverunt, eumdem Joannem non poſſe uti de cętero ipſarum commodo litterarum, pro eo quod idem I. ſic adverſarii gratiæ ſe commiſit, propter quod viſus eſt renuntiaſſe juri ſibi ex ipſis litteris competenti. A qua ſententia idem I. appellans, licet etiam antea quam appellaſſet, vigiliam Epiphaniæ proxime præteritam terminum ſuæ appellationis præfixit, ad quam cum idem I. veniret, & nobis, prout ſuperius eſt expreſſum, facti ſeriem enarraret, dil. fil. *f* Petrum de Collemedio, Capellanum noſtrum ſuper hoc ſibi conceſſimus auditorem: ſed cum ejus adverſarius non veniret per duos menſes, & amplius expectatus, nec ullus appareret pro eo ſufficiens reſponſalis, tandem quidam litteras habens ad contradicendum & impetrandum, coram eodem comparuit auditore; qui cum de jure ad tractandam cauſam minus ſufficiens crederetur, auditori prædicto nobis hæc omnia referenti dedimus in mandatis, ut ſuper hoc aliquos de fratribus conſuleret, & in cauſa procederet juxta conſilium eorumdem: ideo ſæpedictus auditor, habito conſilio dil. fr. n. *g* T. ſanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis, ac etiam aliorum, ſententiam prædictorum judicum ſententialiter juſtitia

juſtitia exigente caſſavit. Nos igitur ejuſdem Capellani ſententiam ratam, & firmam habentes, vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus revocantes in irritum quidquid inveneritis poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam attentatum, ſententia judicum Trever. non obſtante, prædictam præbendam ei Subdiacono, niſi aliud canonicum objectum fuerit, & probatum, quare id non debeat adimpleri, auctoritate Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo, conferatis.

NOTÆ.

1 a MAjoris Eccleſiæ.) Ita reſtituenda eſt inſcriptio ex quinta compilatione edita ab Innocentio Cironio ubi *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur præſens deciſio. De hac Eccleſia S. Dionyſii nonnulla adduxi *in c. ſignificatæ, de refer.*

b *De Emenrode.*) In ſexta collectione Raymundi legitur *de Emento*, ſed falſo; nam hoc monaſterium de Emenrode, alias de Clauſtro dictum, eſt in dięceſi Treverenſi, ut ex Cæſario notat Cironius *in præſenti.*

c *Trever.*) De hac Eccleſia agemus *c. ſeq.*

d *S. Pauli.*) Legendum eſſe *S. Pauline*, jam notavit Cironius *in præſenti.*

e *Confluentia.*) Urbs celebris inter coloniam & Moguntiam, a fluminibus ibi confluentibus dicta. Guntherus,

Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Servat adusque locum.

f *Petrus de Collemedio.*) Qui poſtea fuit Archiepiſcopus Rhotomagenſis, Legatus miſſus in Angliam temporibus Gregorii IX. de quo plura Fratres Sarmat. *t. 2. Galliæ Chriſt. fol.* 586. Chenu *in ſerie Præſulum Rhotomag. n.* 56. 4

g *T.*) Thomæ videlicet de Capua, qui creatus fuit Cardinalis ab Innocentio III. ut refert Ciaconius *in ejus vita.* 5

Pro hujus textus expoſitione repetenda ſunt, quæ adduxi *in c. ſane, hoc tit.*

CAPUT XIV.

Idem *Archiepiſcopo a Treverenſi.*

LEctæ coram nobis f. tuæ litteræ continebant, quod Abbates S. *b* Apri Tullen. quem de converſationis, & vitæ honeſtate commendas, tibi humiliter eſt *c* confeſſus, quod dum adeo grave ægritudine laboraret, quod de vita deſperaretur ipſius, ad cujuſdam tamen æmuli ſui conſilium, de quo ipſe cum non crederet æmulum, confidebat, in quorumdam monachorum ſuorum præſentia excommunicationis ſententia, ſi quam in eorum aliquem protulerat, revocata, eos ab obedientia, in qua ſibi tenebantur, abſolvit, vocato *d* diœceſano Epiſcopo, ut Abbatiam in ejus manibus reſignaret; quod tamen, uſus conſilio ſaniori, non fecit, licet eidem Abbati ſanitati poſtmodum reſtituto, univerſi & ſinguli de conventu obedientiam & reverentiam requiſiti ab eodem in Capitulo promiſiſſent. Idem tamen ſuper eo, quod ſic fecerat, dubitans, a te, quid ſuper hoc ſaluti ſuæ conſuleres, poſtulavit: propter quod tu, cum habito ſuper hoc Juriſperitorum conſilio diverſi diverſa ſentirent, noſtrum conſilium, an idem Abbas ex hoc reſignaverit, requiſiſti. Nos tamen ex tali facto dumtaxat eumdem Abbatem reſignaſſe ſuo regimini non videmus.

NOTÆ.

1 Treveris ubi. a TReverenſi.) Ita etiam legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. etſi Florens *in præfat. ad hunc librum*, credat Auctorem eſſe hujus textus Innoc. III. Treveris, Auguſta Treverorum dicta, Belgiæ primæ Metropolis amplitudine, & dignitate, ſed magis Archiepiſcopali Sede, & Electoratu Imperii commendanda, ad Moſellam ſita eſt: celebratur a graviſſimis Scriptoribus: clariſſimam eam appellavit Imperator Gratianus *in l. 1. C. de profeſſorib. & Med. l.* 11. potentiſſimam, & excellentiſſimam Salvianus *l. 6. de providentia;* opulentiſſimam dixit Mela *l. 3. c.* 2. Ciſalpinarum urbium majorem Zoſimus *l.* 3. Domiciliam Principum Ammianus Marcell. *l.* 15. cujus Primatus hoc antiquo epigramate innuitur:

Accipe Primatum poſt Alpes Trevier ubique.
Quem tibi Roma nova lege dat & veteri.

Plura de ejus origine & amplitudine, necnon Eccleſiæ Primatu congeſſerunt Philippus Berterius *diatrib. 2. c.* 4. Bucerus *l. 1. Belgici Romani, c. 14. & l. 12. c.* 11. Franciſcus Hallierius *de hierarch. l. 4. §. 36. pag.* 631. Fratres Sarmat. *t. 1. Galliæ Chriſt. pag.* 720. Theodorico ſecundo ejus Eccleſiæ Archipræſuli miſſa eſt præſens epiſtola; nam ipſe Archidiaconus ipſius Eccleſiæ creatus fuit Archipræſul anno 1214. & eam Eccleſiam rexit uſque ad annum 1242.

b *S. Apri.*) Ita legendum eſt, non S. Petri, ut legitur in ſexta collectione; quod monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti in dięceſi Tullenſi, cujus originem referunt Fratres Sarmat. *t. 4. Galliæ Chriſt. fol.* 69. 2

c *Eſt confeſſus.*) Non auriculari, ſeu ſacramentali confeſſione, ſed publice.

d *Diœceſano Epiſcopo.*) Nam cum hoc monaſterium pareret Epiſcopo Tullenſi, neceſſario Epiſcopi licentia petenda erat, ut renuntiatio valeret, juxta tradita ſupra *in c. admonet.*

CAPUT XV.

Idem a *Agath. &* b *Nicen. Epiſcopis, & Archid.*

DIlecti filii conventus monaſterii S. *c* Vv. de Deſertis, immediate ad Rom. Eccleſiam pertinentis, ſuis nobis litteris intimarunt, quod Abbas eorum ſe ſentiens inſufficientem oneri regiminis Abbatiæ, ceſſit in manibus eorumdem; ipſique dil. fil. f. G. monachum S. *d* Victoris Maſſilien. elegerunt in Abbatem canonice, ſupplicantes, ut eorum parcentes laboribus, & expenſis electionem ipſorum faceremus in illis partibus confirmari. Cum ergo dictus Abbas cedere ſine licentia noſtra nequiverit, nos tam ceſſionem, quam electionem prædictas decernentes irritas, & inanes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis.

NOTÆ.

1 Agatha ubi. a AGath. Integra hæc inſcriptio corrupta eſt in hac ſexta collectione, ſiquidem textus iſte in ea tribuitur Gregorio IX. cum ſit Honorii III. ut ex quinta compilatione conſtat, ubi *ſub hoc tit. c.* 2. refertur hæc deciſio. Agatha perantiqua civitas eſt Galliæ, in provincia Narbonenſi, olim Colonia, cujus meminerunt Strabo *l.* 4. Plin. *l. 3. c.* 4. Mela *l. 2. c.* 4. Ptolomæus *l. 2. c.* 10. Habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Narbon. cujus Præſul olim jus cudendæ monetæ habebat, ut refer Bodinus *l. 1. de Rep. c. ult.* Thediſio ejus Præſuli reſcribit in præſenti Pontifex, de quo plura Fratres Sarmat. *t. 3. Galliæ Chriſt. fol.* 61.

2 b *Nicen.*) Nicea, vel Nicia civitas eſt non longe a radicibus Alpium, a Maſſilienſibus condita juxta Cemeliam. Ptolomæus, *l. 3. c.* 1. Habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Ebredunenſis, cui unita fuit Cathedra Cemelienſis, ut referunt Fratres Sarmat. *t. 3. Galliæ Chriſt. fol.* 785. Boſquetus *in notis ad Innoc. III. l. 1. ep.* 53. Antepelicano ejus Epiſcopo in præſenti reſcribit Honorius.

3 c *Vv.*) S. Tillelmi videlicet, quod monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti, a S. Guillelmo Comite Toloſano conſtructum anno 804. ut refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, d. anno* 804.

4 e *S. Victoris.*) Eſt etiam monaſterium hoc ordinis D. Benedicti, prope Maſſiliam conſtructum a Joanne Caſſiano Maſſiliæ Presbytero poſtea ditatum variis privilegiis Pontificum, & Regum Francorum, ut referunt Fratres Sarmat. *t. 2. Galliæ Chriſt. fol.* 930.

COMMENTARIUM.

IN hoc textu deducitur, Abbatem immediate ſubjectum R. Pontifici non poſſe ſine ejus licentia propriæ Abbatiæ renuntiare; quod etiam innuitur *in cap. cum venerabilis 7. de conſuetud.* & docent congeſti a Barboſa *in præſenti*, Cironius *in 5. collect. in hoc textu* Tamburinus *t. 1. de jure Abbatum, diſp.* 13. cujus deciſionis ratio provenit ex ſæpe inculcatis *in hoc tit.* nam ut ſupra dicebamus, renuntiatio fieri debet in manibus illius ſuperioris, ad quem electionis confirmatio ſpectat; unde ſi Abbas non eſt exemptus, quia ejus electio ab Epiſcopo debet confirmari, non aliter quam cum Epiſcopi licentia renuntiare valet, *c. Abbas 18. q.* 2. ſi vero eſt exemptus, & immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectus, quia ejus confirmatio petenda eſt a R. Pontifice, ideo tantum coram eo, aut ejus Legato a latere renuntiatio fieri poteſt, *d. c. cum venerabilis, c. ſi Abbatem, de elect. in 6.* hoc autem procedit, ſi jam Abbas non ſolum electus, verum & confirmatus reperitur; ſi vero tantum electus; in manibus Capituli, ſeu eligentium poteſt renuntiare electioni de ſe factæ. Et hoc caſu accipiendi ſunt textus *in c. cum inter R. de electione, c. 2. de in integrum reſtitutione.* 5

TITU-

BIBLIOTECA CENTRAL

TITULUS X.

De ſupplenda negligentia Prælatorum.

CAPUT PRIMUM.

Alexander III. a *Ciſtercienſibus*.

STatuimus præterea, ut ſi Epiſcopus tertio cum humilitate ac devotione (ſicut convenit) requiſitus ſubſtitutos Abbates veſtros benedicere forte renuerit, eiſdem Abbatibus liceat proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.

NOTÆ.

1 a CIſtercienſibus.) Monachis videlicet D. Bernardi, de quibus late egi *in c. cum ordinem 6. de reſcriptis*. In hoc textu proponitur fragmentum cujuſdam privilegii prædictis monachis conceſſi ab Alexandro III. anno 1169. cujus etiam alia pars reperitur *in c. quia nos 33. de appelat.* & alia *in c. ſane, de exceſſib. Prælat.* & ut integrum reddamus, ita illud tranſcribimus *ex t. 1. privilegiorum ipſius Ordinis*, & ex Illuſtriſſimo Manrique *t. 2. annal. Ciſterc. d. anno 1169. c. 3. n. 4.*) Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Alexandro Ciſtercienſi Abbati, & univerſis ejuſdem Ordinis Coabbatibus, tam præſentibus, quam futuris, canonice inſtituendis in perpetuum. Attendentes, quomodo vos a ſæcularis vitæ latitudine converſos, omnipotens & clemens Deus ad anguſtæ portæ deduxit introitum, & vos tamquam a carne adipem ſeparavit; gaudio gaudemus, & interna mentis lætitia, & exultatione jucunditatis replemur, monentes pariter, & exhortantes, ut ſolicita intentione nitamini in vaſis veſtris oleum deferre, quatenus cum media nocte clamor factus fuerit, accenſis lampadibus veſtris, ſponſi mereamini thalamum introire, & juſtitiæ beatitudinem recipere, quæ vobis eſt ſervata in cælis. Quapropter quia vos elegit Dominus in hereditatem ſibi, & a longe de alto reſpexit, paci, & tranquillitati veſtræ, quantum nobis gratia divina concedit, proſpicere cupientes, Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, & indulgemus, ut Abbates veſtri Ordinis, qui aliquo crimine fama publica reſperſi, aut publice convicti, a Patribus Abbatibus ſecundum formam Ordinis commoniti ſuæ prælationi ſponte cedere noluerint, ad Sedem Apoſtolicam appellandi facultatem non habeant, aut ſuum reatum per perſonas aliquas defendendi. Sancimus præterea, ut ſi Epiſcopi tertio cum humilitate, & devotione, ſicut convenit, requiſiti ſubſtitutos Abbates benedicere forte renuerint, eiſdem Abbatibus liceat novitios proprios benedicere & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere, donec Epiſcopi ipſi duritiam ſuam recogitent, & Abbates benedicendos benedicere non recuſent. Sane ſi Epiſcopi aliquid ab Abbatibus præter obedientiam debitam, contra libertatem Ordinis, a prædeceſſoribus noſtris, & a nobis indultam, expetierint, liberum ſit eiſdem Abbatibus auctoritate Apoſtolica denegare quod petitur, ne occaſione iſta Ordo ipſe, qui hactenus liber extitit, perpetuæ ſervitutis laqueo vinciatur. Quod ſi Epiſcopi aliquam propter hoc in perſonas, vel Eccleſias veſtras ſententiam promulgaverint, eamdem ſententiam, tamquam contra Apoſtolicæ Sedis indulta prolatam, irritam fore ſancimus.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio deducitur & probatur. EX hoc fragmento prædicti privilegii pro lege eccleſiaſtica generali a Gregor. IX. confirmato, communiter Doctores ſequentem deducunt aſſertionem: *Si Epiſcopus tertio requiſitus benedicere Abbatem ſine cauſa renuerit, ipſe poteſt non accepta benedictione monachos benedicere, ordines minores conferre, ac ea omnia, quæ ſui muneris ſunt, obire*. Probatur hæc aſſertio aliis ſimilibus privilegiis. Primo privilegio conceſſo ab Eugenio IV. Congregationi S. Juſtinæ de Padua; quod refert Fr. Emanuel Rodriquez *in collect. bullarum dicti Pontificis, bulla 11. n. 15.* Alio conceſſo a Julio II. monachis, & Abbatibus Olivetanis, relato *in l. privil. ipſius Congregationis, pag. 76.* Et alio conceſſo a Pio V. Abbatibus Canoc. regul. quod habetur *in lib. privilegior. ipſius Ordinis, pag. 542.* Illuſtrant prædictam concluſionem Cochier *de juriſdict. in exemptos p. 4. q. 77. n. 2.* Azor. *p. 1. Inſtit. l. 12. c. 20. q. 6.* Emmanuel Rodriquez, Miranda, & alii congeſti a Barboſa *in præſenti, & l. 1. juris Eccleſiaſt. c. 17. n. 46. & l. 3. votorum, voto 89.* & *de poteſt. Epiſcopi 3. p. alleg. 116. n. 21.* Tamburinus *de jure Abbat. tom. 1. diſp. 12. quæſit. 3.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, p. 2. c. 34.* Germonius *l. 3. de ſacror. immunit. c. 8.* Būſeus *de ſtatib. hominum, verbo Abbas*, Cophinus *l. 1. monaſt. tit. 1. n. 7.* Boſquetus *in notis ad Innoc. l. 1. ep. 47.* Bignonius *in notis ad Marculfum l. 1. c. 5.*

3 Ratio dubitandi. Hæc aſſertio ex verbis Alex. III. ab Interpretibus communiter accepta, difficilis redditur ſequenti conſideratione: nam negligentiam Epiſcopi ſuppleri a Metropolitano, vel Capitulo, tam in his quæ ſunt juriſdictionis contentioſæ, quam Pontificiæ, certum eſt: cum enim Epiſcopus negligens eſt in juſtitia ſubditis adminiſtranda, Archiepiſcopus ejus negligentiam ſupplet, *c. per ſingulas 9. q. 3. c. paſtoralis, de offic. Ordin.* ubi dicemus: docet Cæſar *de eccleſiaſt. hierarchia diſp. 5. §. 2. n. 20.* & ſi negligat apponere œconomos in Eccleſiis vacantibus, Archiepiſcopus ſupplet negligentiam, *c. cum ſimus 9. q. 3.* & ſi negligat conferre beneficia eccleſiaſtica, Archiepiſcopus, vel Capitulum ea conferre valent, *c. 1. hoc tit. l. 6. c. 2. cum vulgatis, de conceſſ. præb.* igitur ſimiliter ſi Epiſcopus requiſitus negligens fuerit in benedictione Abbatibus præſtanda, Metropolitanus, vel Capitulum debent ejus negligentiam ſupplere, & benedicere Abbates Epiſcopis ſubjectos; non autem debet permitti Abbatibus, adhuc non accepta benedictione, minores ordines conferre, aut monachos benedicere. Augetur hæc difficultas ex eo; nam ſicut Epiſcopus electus, & confirmatus, dum conſecratus non eſt, quæ ſunt ordinis, exercere non valet ullo pretextu, ex defectu characteris Epiſcopalis, *c. nɾſi, c. tranſmiſſam 15. de elect.* ita ſimiliter Abbas legitime electus, & confirmatus, non tamen benedictus ab Epiſcopo, non poteſt ordines minores conferre, cum hæc poteſtas non juriſdictionis, ſed ordinis ſit.

4 De benedictione Abbatum. Hac dubitandi ratione non obſtante, defenſanda eſt ſupra relata aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, jure communi inſpecto, tam Abbates, quam Abbatiſſas poſt electionem canonice celebratam, & confirmationem, benedictionem accipere debere a Diœceſano, ſi illi monaſteria ex lege diœceſana ſubſunt, *c. quamvis, 68. d.* Carnotenſis *ep. 73. & 88.* quod locum habet etiam quoad monaſteria exempta, *c. ſi jubet, c. ſi Presbyter 26. q. 6.* ut patet ex privilegio immunitatis, quod Epiſcopus Ambianenſis cum conſilio ſuorum collegarum conceſſit monaſterio Corvicenſi anno 644. in gratiam Clotharii Regis fundatoris; quippe univerſa monaſterii bona eximens ab Epiſcoporum poteſtate, ſibi tamen ac ſucceſſoribus reſervat ordinationem Abbatis: *t. 1. Concil. Galliæ*, his verbis: " Cum „ Abbas fuerit de ſæculo iſto evocatus, quem unanimiter Con„ gregatio ipſius monaſterii ex ſemetipſis bonum, & dignum „ elegerint, data auctoritate a Præfato Principe, vel ejus ſuc„ ceſſoribus, a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris abſque ullo „ commodo ſecundum ſacros canones ordinetur. „ Illuſtrant Hallierius *in vindiciis c. 7. §. 1.* Vvandingus *in notis ad opuſcul. S. Franciſci, t. 2. pag. 218.* quam benedictionem intra annum petere debent, *Clem. 1. §. ſtatuimus, de ſtatu monach.* promiſſione facta R. Pontifici, ſi ſint Abbates exempti; ſi vero Epiſcopo parent, ipſi Epiſcopo, *c. ne Dei Eccleſia, de ſimonia, c. olim, de dilationibus, in 5. collect.* cujus promiſſionis, & juramenti formam referunt Tamburinus *diſp. 11. q. 12.* Barboſa *d. voto 89.* Germonius *ubi ſupra*; & tunc benedictionem accipiunt a proprio Epiſcopo, *c. cum inter R. de elect.* niſi privilegium Pontificium habeant, ut a quocumque Epiſcopo poſſint benedici, ut aliqua privilegia referens docet Tamburinus *ubi ſupra, quæſit. 10.* Hæc autem benedictio poteſt non ſolum diebus Dominicis, verum & aliis quibuſcumque feſtivis conferri, ſervatis cæremoniis in Ordine Romano in hujuſmodi benedictionibus præſcriptis, de quibus Menardus *in notis ad Sacrament. D. Gregorii, c. 322.* non tamen debet Abbas, qui ſemel benedictus eſt, ſi ad aliam Abbatiam eligatur, iterum ſolemniter benedici, *Clement. attendentes, §. ſtatuimus, de ſtatu monach.* ſicut nec qui benedictionem nuptialem accepit; non poteſt iterum ſecundas nuptias contrahendo benedici, *c. 1. c. vir, de ſecundis nuptiis*: nec qui in penitentia ſolemni benedictionem, & reconciliationem accepit, poteſt iterum ſolemniter benedici, aut penitentiam ſolemnem peragere, *c. quamvis, 50. diſt.* Hæc autem benedictio Abbatum habet locum in Abbatibus perpetuis, non temporalibus, ſive triennalibus, qui nulla benedictione indigent, & ſine ea adminiſtrare res monaſterii valent. Eugenius IV. in bulla Ciſtercienſibus conceſſa anno 1437. ibi: *Ut Abbates triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus, & ſingulis honoribus, præeminentiis, prærogativis, juribus, & inſignibus Abbatialibus fungi poſſint.* Docet Bruno Chaſsaing. *de privilegiis Regul. tract. 7. c. 3. propoſit. 3.*

5 Benedictio Abbatum quid. Secundo ſciendum eſt, quod licet hæc benedictio Abbatum aliquando dicatur ordinatio, *c. Abbas, c. Abbatem, c. quam ſit neceſſarium 18. qu. 2.* & nonnunquam appelletur conſecratio, *c. alienationes 37. 12. q. 2.* & etiam manuum impoſitio, Synodus *7. can. 14. Lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio monaſterio, etiam ſoli unicuique monaſterii Præfecto facere, ſi ipſi Præfecto ab Epiſcopo manus eſt impoſita.* Tamen proprie, & vere nec eſt conſecratio, nec ordinatio, ſed tantum oratio, qua Epiſcopus Abbatem benedicit, & confirmat. Joannes Pontifex in privilegio monachis monaſterii S. Gregorii juxta Conſtantiam exiſtentibus indulto, ibi: *Ne aliquis eidem monaſterio præficiatur, niſi quem communi aſſenſu fratres ibidem Chriſto ſedulo ſervientes eligent, electumque benedictionis titulo Epiſcopus confirmare procuret.* Ivo Carnotenſis *ep. 73. Quid ergo eſt diſceptandum de benedictione Abbatis, a quocumque Epiſcopo eam fuerit conſecutus? in qua nec ſit manus impoſitio, nec conſecratio, ſed ſimplex oratio; in qua accepta, vel non accepta ſalus ſubditorum nec minuitur, nec augetur.* Idem *ep. 88. Cum Abbatis benedictio nulla ſit ſacramenti repetitio.* Notarunt Bignonius *ad Marculfum lib. 1. c. 5. pag. 455.* Boſquetus *ad Innoc. lib. 1. ep. 57.* Hujus autem benedictionis effectus in jure noſtro recenſetur. Primo Abbates ita benedicti poſsunt conferre ſuis ſubditis ordines minores, *c. quoniam, 69. diſt. c. cum contingat, de ætat. & qual.* ubi late probabimus: deinde poſsunt baculo, mitra, & aliis Epiſcopalibus ornamentis uti, ut ex ordine Romano probat Sauſay *in Panopl. Epiſcop. l. 2. c. 1.* Barboſa *d. voto 89. n. 22.* Tamburinus *d. t. 20. diſp. 21. 23. & 24.* qui alia de hac benedictione Abbatis adducunt.

6 Ratio decidendi. Deinde, ut ad rationem præſentis deciſionis accedamus ſciendum eſt, negligentiam formalem, quæ eſt omiſſio injuſta ejus, quod quis facere debet, continere in ſe culpam, *l. magna 226. ff. de V. ſ.* ubi docent Gentilis, & Fornerius, *l. 3. §. ſi ad diem, ff. de re militari*. Hæc negligentia a Prælatis Eccleſiaſticis commiſſa ſuppletur, aut a jure, aut ab homine. Ab homine, ut *in c. 2. & ſequentibus, hoc tit.* A jure, ut *in hoc c. 1.* ubi ſi Epiſcopus requiſitus neglexerit Abbates benedicere, & a jure ejus negligentia ſuppletur, & pro benedictis habentur, & merito: nam cum hæc benedictio a jure Eccleſiaſtico poſitivo ſit introducta, & ab ipſo jure proveniat facultas in ipſis Abbatibus benedicendi monachos, & conferendi minores ordines; inde recte in caſu ſpeciali hujus textus, cum negligens eſt Epiſcopus in benedicendis Abbatibus, ſtatuitur, poſse Abbatem non benedictum Monachos benedicere, & alia munia Abbatialia exercere, præcipue accedente Pontificis privilegio. Accedit, nam communi interpretum calculo receptum eſt, ex delegatione Pontificis poſse ſimplicem ſacerdotem quatuor minores ordines conferre. Suarez *de ſacr. diſp. 11. ſect. 3.* Hallier. *de ſacris elect. p. 2. ſect. 5. c. 1. art. 3. §. 1.* Tamburinus *t. 2. de jure Abbatum, diſp. 2. q. 1.* Barboſa *l. 1. juris Eccleſiaſticis c. 41. n. 51.* Diana *p. 8. tr. 1. reſolut. 35.* quod gradus Subdiaconatus, & Diaconatus aliqui protraxerunt, quos refert eximius Præceptor D. Franciſcus Ramos *in ſyntagm. pro Epiſcop. Luſitaniæ, propoſit. 4. §. 4. n. 152.* igitur ſimiliter privilegio Ciſtercienſibus conceſſo in hoc textu, etiam benedictione ab Epiſcopo non accepta, quæ ſimplex tantum oratio eſt, poterunt Abbates monachos benedicere, & minores ordines conferre.

7 Diſſolvitur difficultas. Nec difficultas ſupra adducta adverſatur; Nam Metropolitanus tantum poteſt ſupplere negligentiam ſuffraganei in caſibus a jure expreſſis, ut in juſtitiæ adminiſtratione, collatione beneficiorum, conſtitutione œconomi, & aliis, *d. c. paſtor, c. 1. hoc tit. l. 6.* at vero cum negligens eſt Epiſcopus in benedicendis Abbatibus, quia a jure ſuppletur ipſa negligentia, neceſsarium non eſt adire Archiepiſcopum, ut eam ſuppleat. Accedit, nam in caſibus ſupra adductis non eſt pars, quæ ex juris diſpoſitione haberi poſſit pro œconomo, judice, aut beneficiario; unde neceſsarius eſt recurſus ad ſuperiorem, ut inferioris negligentiam ſuppleat: at in noſtro textu eſt pars ſpecifica, quæ ex juris diſpoſitione poteſt ſupplere negligentiam; Abbas videlicet, qui ob negligentiam habetur, ac ſi benedictionem ab eo accepiſset. Nec augmentum difficultatis adverſatur; nam ut ſupra dixi, benedictio Abbatis non eſt ordinatio, neque conſecratio, ſed tantum ſimplex oratio; inde Abbas ſacerdos licet non ſit benedictus, poteſt monachos benedicere, & minores ordines conferre, quia ſufficit ordo ſacerdotalis, accedente Pontificis delegatione, ſeu privilegio.

8 Exponitur c. cum contingat, de ætat. & qual. Primo ſuperiori aſsertioni obſtat textus *in c. cum contingat, de ætat. & qualit.* in illis verbis: *Dummodo ipſis ab Epiſcopo manus impoſitio facta noſcatur.* Ex quibus verbis aperte conſtat, ita demum Abbates poſſe minores ordines conferre, ſi prius ab Epiſcopo manus impoſitionem acceperint: igitur non recte in hoc textu aſſeritur, neglecta benedictione Epiſcopali poſſe Abbatem monachos benedicere, & minores ordines conferre. Pro hujus textus interpretatione ſciendum eſt, regulariter Abbates poſſe minores ordines conferre, ſi benedictionem Epiſcopalem acceperint: ſed hoc procedit, cum nulla datur negligentia Epiſcopi, qui Abbatem benedicere debebat: at vero ſi adſit negligentia, tunc ex ſpeciali privilegio Ciſtercienſibus conceſſo in hoc textu, poſſunt Abbates non benedicti ordines minores conferre. Qua etiam ſolutione accipiendus eſt textus *in c. quoniam 68. diſt.* ubi expreſſe præſcribitur a Patribus 7. Synodi, quod Abbates ſint benedicti, ut ordines minores conferre poſſint: qui canon accipiendus eſt, cum nulla datur negligentia ex parte Epiſcopi in Abbate benedicendo, juxta ſupra tradita.

9 Intelligitur c. Abbas 2. 18. q. 2. Secundo adverſatur præſenti aſſertioni textus *in c. Abbas 2. 18. q. 2.* ubi Gregorius Magnus præcipit, & ſtatuit, ne Abbas in Monaſterio per Epiſcopum ordinetur, & ne in eo Epiſcopus Miſſas publicas dicere præſumat. Ex quo textu facile deducitur, Epiſcopum non debere, nec poſſe Abbates benedicere, aut eos ordinare, nec hujus ordinationis prætextu Miſſas publicas in monaſterio celebrare: igitur non recte in præſenti textu ſupponitur, Epiſcopum debere Abbates benedicere. Accedit, nam ſi Abbas ab Epiſcopo eſset benedicendus, talis benedictio inter Miſſarum ſolemnia eſſet peragenda, ut ex libro Ordinis Romani referunt Menardus, & Tamburin. *ubi ſupr.* ſed tam *in d. c. Abbas*, quam *in c. Abbatem 14. eadem q. 2.* Prohibetur Epiſcopis, ne in Monaſteriis Miſſas publicas audeant celebrare: igitur nullo modo Epiſcopi habent jus benedicendi Abbates. Pro hujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, ordinationis verbo varia in jure Pontificio ſignificari: aliquando ordinatio ſumitur, imo & ſæpe ſæpius pro cooptatione in ordinem, & gradum Eccleſiaſticum, ut late probat Hallier. *de ſacris election. in princ.* plerumque tamen accipitur pro electione, ut pro ipſius textus interpretatione dixi *in c. 1. de election.* unde in eo textu prohibetur Epiſcopis, ne in Monaſteriis eligant Abbates, ſed potius ipſi eligantur a Monachis. Poſt electionem autem legitime celebratam non prohibetur Epiſcopis eos benedicere. Secunda autem pars ipſius textus, ubi D. Gregorius vetat Epiſcopis, ne Miſsas publicas in Monaſteriis faciant, procedit in Miſsas per annum celebrandis, ne gravamen inde Monaſteriis inferretur, ut ipſe Gregorius expreſſit *in c. luminoſo, eadem qu.* Plura de his Miſſis publicis tradunt Boſquetus *ad Innoc. l. 2. ep. 18.* Eſpenceus *in tr. de triplici Miſſa*, Vicecomes, *l. 1. de ritibus Miſſæ, volum. 2.* non vero negatur in eo textu, poſse Epiſcopum intra Miſsarum ſolemnia Abbates benedicere.

10 Exponitur c. cum olim de dilat. in 5. compilat. Tertio præſenti aſsertioni obſtat textus *in c. cum olim 2. de dilationibus, in 5. collect.* ubi Honorius III. Abbati S. Auguſtini Cantuarienſ. in hæc verba ſcribit: (Cum olim inter te tunc electum, & dilectum filium, & Magiſtrum Rom. nuntium ven. f. n. Cantuarienſis Archiepiſcopi, coram fel. mem. Innoc. Papa prædeceſsore noſtro quæſtio verteretur, te firmiter aſserente, quod ab eodem Archiepiſcopo ſine profeſſionis exactione benedici debeas, ſicut per ſententiam bonæ mem. Alex. Papæ fuerat definitum; & prædicto Magiſtro e contrario affirmante, quod ipſa ſententia per eumdem fuerat revocata, ſicut quarumdam litterarum præſcriptione oſtendere nitebatur: idem prædeceſsor noſter ita utrique parti providit, videlicet, quod tibi munus benedictionis impenderet abſque juris præjudicio Archiepiſcopi memorati, aſſignans utrique terminum in Concilio tunc proxime futuro; in quo ſi poſset ſufficienter oſtendere, quod profeſſionem ſibi facere deberes, eam a te ſibi faceret exhiberi, alioquin ab impetitione te abſolveret ipſius. Cum autem præfati procuratores tui reconvenirent Archiepiſcopum memoratum, ſuper eo videlicet, quod officiales ipſius, te ac conventum tuum impediunt, quominus poſſitis congregare Synodum, celebrare Capitulum, & juriſdictionem ſpecialem in ſubditis monaſteriis exercere.) Ex quibus verbis aperte probatur Abbatem non benedictum propter negligentiam Prælati, a quo benedicendus erat, non poſſe neque Concilium congregare, neque juriſdictionem in ſubditos exercere: igitur neque eos benedicere valet. Pro cujus textus & difficultatis ſolutione dicendum eſt, Alex. III. in præſenti eſse intelligendum cum Epiſcopus injuſte renuit benedicere Abbates, ut ſic Epiſcopi negligentia ſuppleatur, atque duritia puniatur, ut Alexander in ultimis verbis ait: ſi vero juſte Epiſcopus Abbatem benedicere renuat, donec præmiſsa cauſæ cognitione lis deciſa fuerit, non poteſt Abbas tamquam benedictus munia Abbatialia obire. Unde cum *in diſt. capit. cum olim*, Abbas renueret Archiepiſcopo profeſſionem fidei facere, Archiepiſcopus juſte renuebat ipſum benedicere, donec prius in ejus manibus fidei faceret profeſſionem: quare cum ex juſta cauſa Archiepiſcopus prædictum Abbatem non benediceret, ideo non adfuit negligentia, quæ ſuppleretur, & per conſequens Abbas, tamquam benedictus, non poterat in ſubditos juriſdictionem exercere.

CAPUT II.

a Innocentius III. *R. Epiſcopo S. Andreæ*.

SIcut nobis tua fraternitas intimavit, Monachi quidam, & clerici regulares, Eccleſias, quæ ad eorum præſentationem pertinent, in tuo Epiſcopatu habentes, propriis uſibus deputare nituntur, nec ibi volunt ad eas, cum vacaverint, perſonas vocare: quin prius occaſione *b* conceſſionis quorumdam Epiſcoporum Vicarios in eis pro ſua inſtituunt & *c* deſtituunt voluntate, & admiſſos ita *d* penſionibus onerant, ut nec in Eccleſiis competenter vix poſſint deſervire in paupertate nimia: nec Epiſcopo in Epiſcopalibus reſpondere: nec *e* hoſpitalitatem, ſicut convenit, tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem, ut ſtatus Eccleſiæ debitus, & antiquus per alicujus violentiam, vel inſolentiam ſubvertatur: mandamus quatenus niſi a juriſdictione tua exemptæ ſint Eccleſiæ ſupradictæ, prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare: & niſi præfatæ perſonæ infra tempus in Lateranenſ. Concil. conſtitutum ad vacantes Eccleſias tibi perſonas idoneas præſentaverint, ex tunc liceat tibi ap. rem. in eiſdem ordinare Rectores, qui eis & præeſſe noverint, & prodeſſe; ita tamen, quod ex hoc nullum patronis in poſterum præjudicium generetur. Datum Laterani vii. Kalend. Martii Pontif. noſtri Anno II.

BIBLIOTECA CENTRAL

NOTÆ.

1 a INnocentius III. Clemens III. legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. *& in c. tua* 2. *de temporib. ordine in eadem collect.* Sed perperam, cum deciſio hæc auctorem habeat Innoc. III. inter cujus epiſtolas editas a Guillelmo Sirleto reperitur *pag.* 280. ſub hac inſcriptione: *R. Epiſcopo S. Andreæ.* Diœceſis S. Andreæ eſt in Scotia, de qua agemus *in c.* 6. *de arbitris, c. nuper,* 6. *de donat. inter.*

b *Conceſſionis.*) Quæ ſufficiens non eſt, ut regularis Eccleſia acquirat jus percipiendi fructus ex aliqua Eccleſia regulari, *c. paſtoralis, de donat. c. cum nos, de his, quæ fiunt a Prælatis.*

c *Et deſtituunt.*) Cum inſtitutio, & deſtitutio in Eccleſiis eam regularibus, quæ per clericum ſæcularem reguntur, ad Epiſcopum diœceſanum ſpectent, *cap.* 1. *de Capellis monach. cap. cum & plantare,* §. *in Eccleſiis, cap. ſane, cap. ſtatuendum, de privil.*

2 d *Penſionibus.*) Quid indignius? Beneficiorum redditus, & Eccleſiæ fructus monachi percipiebant; Eccleſiæ vero miniſtri nimia paupertate opprimebantur, contra omne jus naturale, & Eccleſiaſticum ſatis repetitum in Concil. Later. ſub Alexand. III. *p.* 2. *c.* 9. 12. 13. Later. ſub Innoc. III. *can.* 32. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. ut enim ajebat Carnotenſis relatus a Baronio *to.* 11. *annal. anno* 197. ibi: *Quis patiatur cenſualem Eccleſiam Dei ad uſufructum altaris alium in otio lucrari, ſervitii vero onus alium in egeſtate ſentire.* Expreſſus Abbas Puriſerdienſis *de triplici clauſtralium voto, fol.* 9. ibi: *Vel monachorum Prælati, qui cœnobiis ſuis Eccleſias ſæcularium incorporant, qui avaritiæ facibus ſinum cupiditati laxant, quia dum benefacere poſteritati exiſtimant, multos per occaſionem damnant.* Damnata fuit ſordida Nicephori Focæ Imperatoris rapacitas, qui vacanti Eccleſiæ œconomum ea lege præficiebat, ut cum is parce, & tenuiter ex redditibus Eccleſiæ vixiſſet, fructus reſiduos in fiſcum Imperatoris inferre teneretur, ut refert Zonaras *t.* 3. *pag.* 162. Recte ergo Innoc. in præſenti increpat monachos, qui fructus beneficiorum in proprios uſus tranſmittere affectabant.

e *Hoſpitalitatem.*) Quam non ſolum Epiſcopi exercere tenentur, ut late probat Barb. *de poteſt. Epiſc.* 1. *p. c.* 9. verum & ſacerdotes, aliique fideles. Concilium Grangr. *cap.* 12. *c.* 1. *de empt. & vendit.* plura Bened. Epthen. *lib.* 11. *diſp. monaſt. tom.* 2. *tract.* 1.

COMMENTARIUM.

IN præſenti proponitur, monachos, & canonicos regulares Eccleſias ad eorum præſentationes ſpectantes propriis uſibus deputaſſe, avaritia capti, nec Eccleſiis vacantibus Rectores præſentaſſe; ſed potius vicarios temporales, ad libitum amovendos inſtituiſſe, & inſtitutos variis penſionibus oneraſſe, ita ut nec Epiſcopis in Epiſcopalibus, videlicet procurationibus, cathedratico, & ſimilibus, reſpondere poſſent, nec hoſpitalitatem debitam exercere; quos exceſſus notarunt, & deteſtati ſunt Eccleſiaſtici legiſlatores, *in c. de monachis, de præb. c. cum ſingula, eod. tit. in* 6. Clem. unica, *hoc tit.* Sorditatem etiam monachorum in hoc textu improbatam, jam notavit Arnulphus Lexov. *ep.* 69. " Eſt quiddam, quod tam „ meam, quam alias vehementer angit Eccleſias, quorumdam „ ſcilicet rapax, & intemperans audacia monachorum, qui „ quo liberius effluant, ſæcularis potentiæ præſidia redimen- „ tes, primo Epiſcopis omnem obedientiam ſubtrahunt, & „ Parochiales Eccleſias cum altari, & decimationibus, cete- „ riſque beneficiis, de manu laica recipere, pactis quibusli- „ bet, ſacrilega temeritate præſumunt. In his ergo ab eis, „ nec canonicus ordo, nec Epiſcopalis aſſenſus exigitur, ſed „ devocatis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tanta „ paupertate ibi conſtituunt ſacerdotes, ut ad exhibitionem „ ſuam, & ad onera Eccleſiæ portanda, non habeant, quod „ opilioni ſufficeret, aut curſori. Generale eſt hoc, ſed in „ Epiſcopatu meo vehementius hæc eſt graſſata malignitas, „ nec jam nobis cujuslibet rationis obtentu, ſed fallaciis, ac „ muneribus, præſidioque violentiæ ſæcularis obſiſtunt. „ Sed hanc primam partem deciſionis, quæ proprium locum vindicat *in c. de monachis, de præbend.* ibi exponemus, ut ad ſecundam, videlicet negligentiam monachorum in conferendis beneficiis, quæ propria eſt hujus tituli, accedamus. 3

CAPUT III.

a Innoc. III. b *Elyenſi, &* c *Caſtren. Epiſcop. & Archid.* d *Norvan.*

LIcet dilecti filii Magiſt. H, Archid. de H. R. De S. Cademundo ſuper Archidiaconatu de *e* Richemundia litigarint diutius coram nobis; tamen poſtmodum auribus noſtris eſt intimatum, quod neutri eorum de jure competeret, utpote quia neutri fuerat conceſſus intra tempus in Lateran. Concil. definitum. Ne igitur jus noſtrum negligere videamur, qui alios in ſua juſtitia confovemus: dil. v. per Ap. ſ. m. quatenus convocatis eiſdem, ut proponant, ſi quid contra duxerint proponendum, inquiratis diligentius; & ſi vobis conſtiterit Archid. illum vacaſſe per annum, tempore tamen ſemeſtri, quo vel ad Archiep. vel ad Capitulum donatio pertinebat, non a vacatione, ſed a notitia computato, cum pro eo, quod Eborac. alium non habet ſuperiorem, ex tunc fuerit ad nos donatio devoluta: utique ſuper eo, ſublato ap. ob. ſilentium imponatis, Archidiaconat. ad noſtram ſpectare donationem publice denuntiantes, decernentes irritum, & inane, ſi quid in eo quiſquam præſumpſerit poſtmodum ordinare.

NOTÆ.

1 a INocentius III.) Nec in hac, nec in quarta collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 1. reperitur præſens deciſio, proponitur cui miſſa ſit; ſed ſi conſulimus alias ejus partes, quæ extant *in c. conſtitutus* 30 *de teſtibus, c. penult. de inſtitutionibus, c. poſt electionem,* 7. *de præb. & dignit.* inſcriptio ita reſtituenda eſt, *Innocentium III. Elyenſi, & Ciſtren. Epiſc. & Archid. Nivern.* Ex ipſis etiam partibus noſtri textus caſus ita repetendus eſt. Archidiacono Richemundiæ Eccleſiæ Eborac. in Epiſcopum Elyenſem electo, & confirmato, & in vacante ipſo Archidiaconatu ex juris diſpoſitione, de qua *in c. cum in cunctis* 7. §. *cum vero, de elect.* Gaufridus Archiepiſcopus Eboracenſis ipſum Archidiaconatum contulit Honorio, juſſitque Capitulo, ut eum reciperet: Capitulum exequi noluit Prælati juſſum, allegans Celeſtini III. privilegium, quo cavebatur, ut dignitatum inſtitutio, & deſtitutio in Eccleſia Eboracenſi ad Decanum, & Capitulum ſimul ſpectaret; unde cum Archiepiſcopus tantum commendaret inſtituendum dictum Honorium Capitulo, non vero Decano, illum in Archidiaconum admittere renuerunt; & hac electione Archiepiſcopi pro infecta habita, tranſacto ſemeſtri Concil. Lateran. Capitulum ex jure devoluto ipſam dignitatem Rogerio conceſſit. Cauſa diſceptata inter Rogerium, & Honorium coram Innocentio III. Rogerius allegabat, Honorium dignitati renuntiaſſe, & ſic ad ipſum ex electione legitimo tempore a Capitulo celebrata Archidiaconatum ſpectare. Innocentius inſuper habuit renuntiationis cauſam, & non plene inſtructus de lapſu temporis, potiorem eſſe cauſam Honorii judicavit *in d. c. poſt* 7. demum cum per vim Rogerius dictum Honorium Archidiaconatu ſpoliaſſet, Honorius adverſus ipſum egit remedio reſtitutorio coram Epiſcopo, & Decano Linconienſi, judicibus delegatis; & cum ſuper productione teſtium admittenda, vel non, cauſa ad ipſum Innocentium III. fuiſſet devoluta, ipſe ſuper hoc articulo eam commiſit Elyenſi, & Ciſtrenſi Epiſcopis, & Archidiacono Nidern. & plene cauſa diſceptata coram Innocentio III. ipſe cognoſcens, tam Archiepiſcopo, quam Capitulo tempus Conc. Later. fuiſſe elapſum, nec Honorium, nec Rogerium rite inſtitutos fuiſſe declaravit, & per conſequens ejus dignitatis collationem ad Sedem Apoſtolicam eſſe devolutam: quæ pars deciſionis refertur in noſtro textu.

b *Elyenſi.*) De hac Eccleſia egi *in c. paſtoralis,* 11. *de reſcriptis.*

c *Caſtren.*) Legendum exiſtimo Ciceſtren. Ciceſtrenſis enim Eccleſia eſt Epiſcopalis, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo. 2

d *Norvan*) Ita legitur *in d. c. conſtitut.* 30. ſed legendum puto *Norvicen.* quia in Anglia nulla eſt Eccleſia Norvan. ſed tantum Norvicenſis, de qua egi *in c. ſi autem, de reſcriptis.* 3

e *Richemundiæ.*) Eſt dignitas Eccleſiæ Eborac. de qua Cujacius *in d. c. conſtitutus, c. poſt* 5. & ejus mentio fit *in cap. conſtitutus, de teſt. c. cum veniſſet, de inſtit.* apud Hovedenum *in Joanne,* Matth. Pariſ. *ad annum* 1255. 4

CAPUT IV.

a Idem *Magiſtro P. de Caſtro, & R. monach. Fontis Frigidi Apoſtol. Sed. Leg.*

PEr litteras veſtræ diſcretionis accepimus. *Et infra:* Quod in quibuſdam Eccleſiis legationi veſtræ ſubjectis, quædam beneficia, & dignitates tanto tempore vacaſſent, quod tam Prælati, quam Capitula ſecundum tenorem Lateran. Concilii eſſent jure inſtituendi privati, qui poſtquam veſter adventus innotuit, in beneficiis illis perſonas minus idoneas inſtituere præſumpſerunt. Unde cum receperitis conſilium a viris peritis, ut tales inſtitutiones ab his, quorum non intererat, & qui propria culpa jure inſtituendi ſe privaverant, factas auctoritate Apoſtolica caſſaretis, noſtrum

noſtrum prius in hoc decreviſtis conſilium habere. Nos igitur inquiſitioni veſtræ taliter reſpondemus, per A. ſ. m. quatenus ſi beneficia, vel dignitates ipſas noveritis perſonis idoneis aſſignatas, ea de patientia permittatis ab ipſis pacifice poſſideri; alioquin perſonas ipſas amoventes prorſus ab ipſis, eadem perſonis idoneis *b* auctoritate noſtra ſuffulti, non differatis, quanto citius ordinare.

NOTÆ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur *in* 4. *collect. ſub hoc titul. cap. final.* quæ inſcriptio reponenda, & exponenda eſt ex traditis *in cap. per inquiſitionem, de election.*

b *Auctoritate noſtra.*) Quando, & quibus Legatis competat jus conferendi beneficia, exponemus *in c. dilectus de offic. Leg.* 2

CAPUT V.

Epiſcopo, & a *Cantori* b *Zamoren. & Abbati de* c *Morerola, Diœceſis Zamorenſis.*

DIlecto filio noſtro P, tit. S. *d* Marcelli Presbytero Card. bonæ memoriæ A. *e* Theſaurario Salamantin. S. *f* Paſchaſii, & Domino *g* Garciæ Clericorum procuratoribus apud Sedem Apoſtolicam conſtitutis auditore conceſſo, idem Theſaurarius propoſuit coram eo, quod cum in *h* Salamant. Eccleſia, in qua Cantoris electio ad *i* Epiſcopum, & Capitulum communiter pertinet, Cantoria vacante dictum Capitulum ſæpius Epiſcopum monuiſſet, ut ad celebrandam Cantoris electionem cum eo pariter conveniret: eodem Epiſcopo infra ſemeſtre tempus id facere negligente, Capitulum uti cupiens jure ſuo, in Eccleſiæ memoratæ Capitulo, ſicut eſt moris, ſupradictum Paſchaſium ejuſdem loci Canonicum in Cantorem elegit, ne quid in ejuſdem electionis præjudicium fieret, appellando: quam ſupradictus Theſaurarius auctoritate petiit Apoſtolica confirmari, ac electionem, quam ven. frater noſter *j* Compoſtellanus Arrhiepiſcopus poſt appellationem hujuſmodi, de G. clerico multis criminibus irretito, ac tunc temporis vinculo *k* excommunicationis aſtricto, minus canonice celebraverat, caſſari. Dictus vero Dominicus propoſuit ex adverſo, quod emenſo ſex menſium ſpatio, infra quod ad Epiſcopum, & Capitulum Cantoris electio pertinebat, Decanus, & quidam Canonici Salamantin. Epiſcopo, Archidiacono, & nonnullis Canonicis, qui præſentes in civitate aderant, inconſultis, non conſueta hora, vel in Capitulo, juxta morem, ſed in *l* Eccleſia potius, quibuſdam laicis Advocatis ſtantes, & inordinate nimis eligere præſumpſerunt. Et cum jam dicti Archiepiſcopi, qui eoſdem propter hoc evocaverat, adire præſentiam noluiſſent, ipſe intelligens eligendi auctoritatem ad ſe juxta Lateran. ſtatutum Concilii devolutam, ſupradictum G. in Cantorem elegit, & eumdem fecit de Cantoria corporaliter inveſtiri. Poſtmodum autem Decanus, & ſui complices nobis, de his mentione non habita, ſuggerendo, quod Epiſcopus, qui motus ſæpius infra ſex menſes eligere noluerat, in Eccleſiæ detrimentum Cantorem, ad Decanum, Archidiaconum, & Archipresbyterum *m* Abulenſ. noſtras litteras impetravit. Quarum auctoritate, cum ſupradictus G. ab eiſdem fuiſſet judicibus evocatus, eiſdem inhibuit, ne per dictas litteras procederent contra eum, cum in eis de ſua electione facta per Archiepiſcopum nulla mentio haberetur. Et tum propter hoc, tum etiam quia prima citatione ad loca remota peremptorie citatus extiterat; tum etiam quia judices quoſdam ex electoribus dicti P. conſanguinitatis linea contingebant, ad Sed. Apoſt. appellavit. Sed judices nihilominus Salmantinam accedentes Eccleſiam, ſæpedictum P. in Cantoriæ poſſeſſionem *n* cauſa rei ſervandæ contra juſtitiam induxerunt. Cum igitur ſuper his, & aliis coram eodem Cardin. Procuratores ipſi aliquandiu litigaſſent, & ipſe nobis fideliter retuliſſet, quæ propoſita fuerant coram eo; quia nobis conſtitit a ſupradicto Decano, & ejus ſequacibus, poſt elapſum ſex menſium ſpatium, infra quod Epiſcopo, & Capitulo memoratis, prout communiter ſpectabant ad eos procedere ad Cantoris electionem neglexerant, electionem ſupradicti P. minus canonice fuiſſe celebratam, eamdem decrevimus irritam, & inanem, & appellationem ab eodem Decano, & ſuis fautoribus interpoſitam, factum Archiepiſcopi, ad quem jam erat eligendi auctoritas devoluta, nequiviſſe aliquatenus impedire. Quia vero contra perſonam ipſius G. quædam objectu fuerunt, de quibus nobis non potuit fieri plena fides: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus niſi jam dicto G. aliquid canonicum obviet, electionem de ipſo factam, ſublato appellationis obſtaculo confirmetis; facientes ipſum ejuſdem Cantoriæ pacifica poſſeſſione gaudere, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcentes. Quod ſi non omnes, &c. tu ea, frater Epiſcope, cum eorum altero, &c. Datum Laterani v. Kalen. Novembr. *o* anno XIII.

NOTÆ.

a CAntori.) Sive Præceptori, cui ſæpe ſæpius litteras a Sede Apoſtolica mitti, & cauſas delegari, notavi *in c. ad aures, de reſcriptis.*

1 Zamora ubi. b *Zamorenſi.*) Ita reſtituenda eſt inſcriptio hujus textus ex ipſo regeſtro epiſtolarum Innocent. III. edito a Boſq. ubi *l.* 1. *regeſtr.* 13. *epiſt.* 157. reperitur hæc decretalis. Zamora urbs perantiqua eſt in veteri Caſtella, quam nonnulli ex mediæ ætatis ſcriptoribus dixere Numantiam, quod pluribus recentioribus Hiſpaniæ hiſtoricis non placet, nec Topographiæ illius civitatis convenit. Illud tamen abſque dubio eſt, tempore Romanorum nobilem civitatem fuiſſe, a Saracenis poſtea ſæpe ſæpius devaſtatam, quam demum Alphonſ. III. Legionenſis Rex inſtauravit, ut ipſius etymon tradens, refert Rodericus Tolet. *l. hiſtor. Hiſpan. c.* 16. ibi: " Cum Rex ipſe lo- „ cum aſcenderet ad videndum, ſatelles quidam, qui inter „ ceteros Regem cum ſpiculo præcedebat; vaccam nigram „ dicitur inveniſſe, quam volens ruſticani applauſus vocabulo „ delinire, fertur dixiſſe ZAMORA. Vaccas enim ejus colo- „ ris Hiſpani armentarii Moras vocant, unde Rex Zomoram „ nomen indidit civitati. „ Alias hujus nominis rationes tradunt Baſſeus *in chron. ann.* 884. Tamayo de Salazar *in Martyrol. Hiſpan. tom.* 5. *die* 5. *Octobr.* Plura de hujus civitatis dignitate, & antiquitate Ambroſius de Morales *Hiſpan. lib.* 15. *capit.* 27. *& libr.* 16. *cap.* 18. *&* 45. Medina *libr.* 1. *magnit. Hiſp. cap.* 82. *& lib.* 2. *cap.* 84. Aldrete *in antiq. Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 4. Habuit hæc civitas Eccleſiam Cathedralem jam a principio Eccleſiæ, ſiquidem apud Marcum Maximum ann. 520. reperitur Quitanus ejus Epiſcopus, & in Concilio Lucenſi celebrato ann. 569. fines hujus Epiſcopatus deſcribuntur. Ejus Eccleſiæ Prælato D. Petro miſſa eſt hæc deciſio. Etiam reperitur mentio hujus Eccleſiæ *in cap. ad audientiam* 34. *cap. cum parati* 19. *cap. dilecto* 69. *de appellat. cap. olim* 16. *de reſtit. ſpoliat.*

2 c *Morerola.*) Celebre monaſterium in Diœceſi Zamorenſi, erectum anno 985. a S. Atilano, & Froylano, ſub nomine D. Jacobi de Moreruela: & licet ex eo ann. uſque ad annum 1144. in eo habitaſſent monachi Benedictini, anno tamen 1154. datum, & aſſignatum fuit monachis Ciſtercienſibus, & ſub patrocinio B. Mariæ inſtauratum, ut conſtat ex quibuſdam donationibus Regum Hiſpaniæ, quæ refert Yepes *chron. D. Benedicti centur.* 6. *c.* 2. *&* 3. ex quibus depromitur, noſtri Innocentii temporibus monaſterium illud regi per monachos Ciſtercienſes.

d *Marcelli.*) Ita legendum eſt, non Marcellini; titulus enim S. Marcelli eſt Presbyteri Cardinalis, qui ſpectat ad Baſilicam S. Pauli, ut refert Cohelius, *in notitia Cardinal. cap.* 2. 3

e *Theſaurario.*) Ita Theſaurarius dictus eſt a cuſtodia theſauri Eccleſiæ, quæ ad ipſum ſpectat. Iſidorus *in cap. perlectis,* §. *theſaurarium,* 25. *diſt.* Græca voce dicitur Cimiliarcha, *l. ult.* §. *ult. C. de bonis auctorit. judicis.* Inſpecto jure communi theſaurarius tantum officium in Eccleſia obtinebat, ſed jam ex conſuetudine omium fere Eccleſiarum dignitatem obtinet. Plura de officio theſaurarii adducunt Cæſar. *de Eccleſ. hier. q.* 2. *prooemial.* §. 5. *n.* 4. Petr. Greg. *l.* 5. *ſyntag. c.* 39. *n.* 3. Azor. 1. *p. inſtit. l.* 3. *c.* 16. *q.* 5. Barboſa *de Canonicis c.* 3. & nos aliqua adducimus *in c.* 1. *de officio cuſtodis.*

f *Paſchaſii.*) Is fuit electus a Capitulo Salmantino.

g *Garciæ.*) Qui fuit electus ab Archiepiſcopo Compoſtellano.

h *Salmantinæ.*) Salmantica dulcis patria noſtra, eſt perantiqua civitas in veteri Caſtella, in Regione Legionenſi, non ſolum antiquitate, & civium nobilitate admodum clara, verum & omnium litterarum Gymnaſio, celebrique Academia apud omnes nationes celebratiſſima; adoque celebris, ut præconiis debitis commendari non valeat. Plura de ejus antiquitate, & Topographia tradunt Ægydius Gonzalez Regius Chronographus *in ejus hiſtoria,* & in theatro ipſius Eccleſiæ Tamayo de Salazar *t.* 3. *Martyrol. die* 13. *Maii.* Habuit Eccleſiam Cathedralem a temporibus D. Jacobi, cujus diſcipulus S. Secundus fidem in ea prædicavit. In diviſione Epiſcopatuum ab Vvamba Rege Gothorum facta, ita cavetur *Salmantica hic teneat de Albenia uſque Sotobram, de Ruſſa uſque Siberam.* Ejus Eccleſiæ Præſules referunt Gonzal. & Salazar, *ubi ſupr.* ex quorum catalogis conſtat, Epiſcopum, de quo in hoc textu, fuiſſe Gundiſſavum hujus nominis quartum, qui floruit per an. 1210. quo noſtri text. deciſio facta fuit. Alia dabimus *in c.* 18. *de cenſibus.* 4 Salmantina ubi.

i *Epiſcopo, & Capitulo.*) In aliquibus Eccleſiis collatio præben-

bendarum ſpectat ad Capitulum tantum, in aliis vero ad Capitulum, & Epiſcopum ſimul, c. 2. ne ſede vacante, ubi dicemus: unde in Eccleſia Salmantina electio Cantoris, quem vulgo dicimus, Chantre, noſtri Innocentii temporibus ſpectabat ad Capitulum, & Epiſcopum ſimul: hodie tamen, ſi in ea Eccleſia dignitas, aut præbenda non in menſibus ordinariis vacat, ſervatur alternativa inter Epiſcopum, & Capitulum, ita ut conferente Epiſcopo unam præbendam, in alia datur optio Capitularium, & ſic deinceps turnus ſervatur.

5 j Compoſtellanus.) Petrus Suarez, de quo in c. ex tuarum, de auctor. & uſu pallii.) aliqua adduxi: cum enim Eccleſia Salmantina eſſet ſuffraganea Emeritenſis, & Metropolis Emeritenſis tranſlata fuiſſet in Compoſtellam, ideo nunc, ut ſuffraganea ſubeſt Compoſtellano Archiepiſcopo.

k Excommunicationis.) Quæ ſi vera eſſet, impediret ejus electionem, c. poſtulaſti, de cleric. excomm. probavi in c. venerabilem, v. Excommunicatum, de elect.

6 l In Eccleſia.) De loco, & hora electionis canonicæ egi in c. in cauſis, de elect.

m Abulen. Abulenſis civitas eſt Hiſpaniæ Citerioris nobilis urbs, inter Salmanticam, & Segobiam. Epiſcopali Cathedra jam a primis Eccleſiæ ſæculis decorata, de cujus origine, & magnitudine agunt P. F. Ludovicus de Ariz in hiſt. ipſius civitatis, Ciancha in vita S. Secundi, l. 1. c. 28. Ægydius Gonzal. in theatro ipſius Eccleſiæ, Samayo a Salazar tom. 1. Martyrol. Hiſpan. die 20. menſis Februar.

7 n Cauſæ ſervandæ.) Cum in cauſis beneficialibus non poſſit fieri miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto, cap. 1. de eo, qui mittitur in poſſeſſ. l. 6. ut dicemus in cap. quoniam, ut lite non conteſt. ideo in præſenti talis omiſſio rei ſervandæ non admittitur.

o Anno XIII. Qui eſt Chriſti 1210.

COMMENTARIUM.

8 Concluſio refertur, & probatur. EX his quatuor Epiſtolis decretalibus, quæ fere eamdem continent deciſionem, & ſententiam, ſequentem deduco diſputandam aſſertionem: *Is ad quem ſpectat collatio beneficiorum, elapſo ſemeſtri illa conferre non valet; & ſi conferat, collatio eſt nullius momenti, niſi ex æquitate ſuſtineatur; ejus autem negligentiam ſupplet immediatus ſuperior.* Probant text. in c. poſtquam, 50. diſt. c. obeuntibus, 63. diſt. c. cum acceſſiſſent, de conſtit. c. ne pro defectu 41. c. ultim. de elect. c. dilecti 12. c. de multa 28. §. is quoque, de præb. c. nulla 2. §. cum vero, c. quia 5. c. poſtulaſtis 15. de conceſſ. præb. c. propoſuit, de clerico excomm. c. quam ſit, c. quamquam, de elect. in 5. c. ultim. de jurepatr. eod. libr. Clem. unic. hoc tit. Conſonat lex 8. tit. 16. par. 1. Illuſtrant Rebuffus in praxi, ti. de devolutionibus, Garcia de benef. par. 10. c. 2. plures congeſti a Barboſa in præſenti, & de poteſt. Epiſc. alleg. 126. n. 80. quibus addendi ſunt Petrus Gregorius l. 19. ſyntagm. c. 19. & in c. cum acceſſiſſent, de conſtit. n. 6. Guitier. l. 1. can. c. 28. Gonz. ad regul. 8. gloſſ. 3. proœmial. n. 4. Azor l. 3. moral. c. 39. Lother. l. 2. de re benef. q. 24. Boſquetus ad Innoc. l. 1. ep. 155. Dartis de benef. c. 5. Duaren. l. 5. de ſacris elect. c. 5. Hallier. de hierarc. Eccleſ. p. 483. Lavorus de elect. c. 18. Cironius in c. 3. de elect. in 5. compil. Salgado de protect. 4. p. c. 11. n. 3. Valenſis de benef. lib. 1. til. 21. Alteſſera in præſenti.

9 Ratio dubitandi. Sed hæc aſſertio, quæ varias continet partes, diverſas etiam patitur dubitandi rationes; & primo adverſus eam partem, in qua deciditur, tempus conceſſum, & aſſignatum electionibus eſſe ſemeſtre, & eo elapſo, electionem devolvi ad ſuperiorem, ita inſurgitur. Si electores negligant eligere Epiſcopum, Abbatem, ſeu Prælatum regularem per tres menſes, electio ad ſuperiorem devolvitur, c. poſtquam, 50. d. c. obeuntibus, 63. d. c. ne pro defectu, de elect. c. quam ſit, eod. tit. in 6. Igitur tempus electioni, ſeu collationi beneficiorum, & dignitatum aſſignatum non eſt ſemeſtre, ſed trimeſtre. Secundo adverſus eam partem, ubi aſſeritur, elapſo ſemeſtri a Conc. Later. præſcripto, non eſſe locum pœnitentiæ, nec moram purgari poſſe, & ſic electionem poſtea factam non ſuſtineri, obſtat ea juris conſideratio: nam moræ purgatio admittitur, tam jure Pontificio, quam Cæſareo. Jure Pontificio in canone per biennium non ſoluto; ſi enim ſolvatur poſtea, mora purgatur, c. potuit, de locato: in reſtitutione rei Eccleſiæ jam alienatæ, c. ſi quis Presbyterorum, de rebus Eccleſiæ: item in c. conſuluit, de offic. delegat. Jure civili notum eſt, ut in lege, & ſi poſt tres, ff. ſi quis cautionibus, l. ſancimus, Cod. de fidejuſſorib. & aliis plurimis congeſtis a Ferreto in tr. de mora, Pichardo eodem tr. de mora purgatione: igitur ſimiliter in noſtro caſu mora purgari poterat, & etiam poſt lapſum ſemeſtre re integra beneficium conferri valebat. Augetur hæc difficultas ex c. litteras, hoc tit. ſupra relato, ubi collatio beneficii facta poſt tempus ſemeſtris elapſum ſuſtinetur: igitur quia mora etiam in præſenti caſu purgari poteſt. Tertio adverſus eam partem aſſertionis, ubi docetur negligentiam collatoris ſuppleri ab immediato ſuperiore, ita inſurgitur: æqualiter jus eligendi devolvitur ad ſuperiorem, cum tempus ſtatutum a Conc. Later. elapſum eſt, ac quando eligitur perſona indigna; quia tunc in pœnam improbæ electionis elector privatur jure eligendi, & devolvitur electio ad ſuperiorem, cap. cum in cunctis, §. fin. ubi dixi, de elect. docet Valenſis ubi ſupra, tit. 20. n. 3. ſed cum jus eligendi devolvitur in pœnam improbæ electionis, devolutio fit ad R. Pontificem, non vero ad immediatum ſuperiorem, c. quamquam de elect. in 6. igitur ſimiliter in præſenti caſu electio non ad proximum ſuperiorem, ſed ad Pontific. fieri debet

10 Devolutio quid. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt ſupra tradita aſſertio, ad cujus expoſitionem, & hujus devolutionis plenam cognitionem aliqua ſunt prælibanda. Et primo ſciendum eſt, negligentiam conferendi beneficia, quorum collatio aut jure, aut conſuetudine ad inferiores Prælatos ſpectat, elapſo tempore per ſuperiores ſuppleri, & hoc jus, tam ab ſcholaſticis, quam forenſibus, devolutum, ſeu devolutivum appellari. Nec improprie, ſic enim, & Jureconſulti hereditates, tutelas, bona devolvi dicunt, in l. ad fiſcum, ff. rerum amotarum, leg. ſi quis ſub condit. ff. de teſtam. tutela, pupilli, ff. de ſolutionib. l. in fraudem, de jure fiſci, & aliis congeſtis a Biſſonio Calvino, & aliis Lexicographis, v. Devolvi. Hoc jus etiam politiores caducum appellant, non aliter, ac Juriſconſulti caducum legatum, caducam hereditatem, bona caduca dixerunt in lib. item veniunt 20. ff. de petit. hæred. l. ſi quis officium, l. dote, ff. de ritu nupt. l. 3. ff. de his quæ in teſtam. obſervavit Duarenus l. 5. de ſacris Eccleſ. c. 5. illuſtrat more ſolito magnus Præceptor D. Franciſcus Ramos ad l. Juliam, & Papim. c. 3. Hoc igitur jus devolutivum datur in omnibus dignitatibus, & beneficiis eccleſiaſticis ſive ſæcularibus, ſive regularibus, Clem. unic. hoc tit. tam in majoribus, Epiſcopatibus videlicet, Abbatiis, & ſimilibus, quam in inferioribus, etiam in beneficiis parochialibus, quorum collatio prævio examine fieri debet, juxta Triden. Conc. ſeſſ. 14. de reform. c. 18. in illis enim ſi detur Epiſcopi negligentia, jus conferendi ad ſuperiorem ſpectat. Garcia de benefic. d. p. 10. c. 2. n. 7. Hoc etiam jus devolutivum locum habet in Xenodochiis, hoſpitalibus, & aliis piis locis, ſi conferatur in titulum beneficii, juxta textum in Clem. contingit, §. qui autem, de relig. dom. Rebuffus in praxi, tit. devolut. Garcia d. c. 2. n. 8. Si autem conferantur ſine titulo beneficii, ut in Clem. per litteras, de præb. quia nullum tempus præfixum eſt a jure ad eorum proviſionem, devolutioni locus non eſt. Gonz. d. §. 4. n. 4. Idem etiam jus devolutivum datur in Capellaniis collativis, ut ſunt illæ, quæ cum auctoritate Epiſcopi eriguntur; in illis enim etiam ſuppletur negligentiæ per ſuperiorem. Lara de Capellaniis, l. 2. c. 1. n. 16. Nec intereſt, quod Capellaniæ conferantur per electionem, aut præſentationem; ſi enim præſentatio ſpectet ad patronum eccleſiaſticum, elapſo ſemeſtri, intra quem tenetur præſentare, devolvitur jus præſentandi ad Epiſcopum; & quia in patrono laico quadrimeſtre tantum præſcriptum eſt, eo elapſo ſimiliter jus præſentandi devolvitur ad collatorem, c. 3. in fine, c. cum propter 27. de jurepatr. c. unic. §. verum, eod tit. in 6. docent Lambert. de jurepatr. l. 1. p. 1. q. 1. art. 8. & l. 2. p. 2. q. 1. princ. art. 4. Spino in ſpeculo teſtam. gloſſ. 4. princip. n. 73. Cabedo de patron. Regiæ Coronæ, c. 28. n. 2. Corraſius de benef. p. 2. c. 3. n. 12. & quia juſpatronatus mixtum, eccleſiaſticum videlicet, & ſæculare habetur, pro eccleſiaſtico, niſi elapſo ſemeſtri non devolvitur collatio ad collatorem.

Secundo ſciendum, quod cum tempus præſcriptum a jure aliud ſit utile, aliud continuum, quod utili opponitur in l. mariti, 29. §. ſex, ff. ad l. Jul. de adul. continui mentio fit, in l. adult. 5. C. de adult. in l. final. C. de temp. in integ. reſtit. in l. genere, 8. verſic. 1. ff. de his qui notant. infamia §. qui autem, Inſtit. de excuſat. tutor. l. fin. C. de dolo, l. 4. ff. de uſuc. utilis autem mentio fit in l. in annos, ff. de calumniat. l. ſciendum 19. §. tempus, l. cum lex 55. ff. de ædilit edicto, l. 1. ff. de juris, & facti ignor. l. 2. ff. quis ordo in honor. poſſeſſ. videamus, quomodo accipiatur tempus in præſenti præſcriptum, cum plurimum interſit, an continuum ſit, an utile: nam illud perpetuo currit, neque excipitur ab eo aliqua dies pretextu feſti, aut abſentiæ, infirmitatis, aut alterius juſti impedimenti: ab utili autem excipiuntur dies, quibus juſta cauſa, aut impedimento detentus quis agere non poteſt, de quibus in l. 1. ff. de diverſis, & temporalibus præſcript. notarunt Cujacius l. 2. obſerv. c. 6. Sfortia tr. de integrum reſtit. p. 1. q. 19. art. 3. & tempus continuum ignorantibus currit, dict. leg. genero, verſic. 1. & dicendum eſt tempus hoc aſſignatum a Conc. Later. eſſe utile, non continuum, & non a die vacationis, ſed a die ſcientiæ vacationis computari, c. quia diverſitatem, de conceſſ. præbend. Clem. unic. eodem tit. argumento legis finalis in fine, ff. quis ordo in bonorum poſſeſſ. Docent Lambert. de jurepatr. p. 2. q. 1. art. 8. n. 1. Flores de Mena l. 1. q. 4. n. 8. Barb. alleg. 58. n. 7. & alleg. 126. n. 42. Cum enim hoc devolutionis jus ſit introductum in pœnam negligentis conferre, ut coerceatur ejus negligentia, quæ abſque ſcientia dari non poteſt, c. 2. de conſtit. c. cum voluntate, de ſent. excomm. recte aſſerimus hoc tempus ſemeſtris eſſe utile, & non computari a die vacationis, ſed a die ſcientiæ. Nec obſtat ſi dicas, in dubio, cum tempus a jure præfinitum eſt, non utile, ſed continuum judicari, l. nunquam §. 1. ff. de uſuc. l. 1. §. dies 7. ff. quando appellandum, l. c. 25. ff. ad l. Juliam de adult. l. 4. ff. de pœnis, l. ultim. §. quoties, ff. de public. l. Thais 41. §. intra, ff. de fideicommiſſ. libert. l. ultim. C. de dolo, l. ult. C. de tempor. in integr. l. ſervus 14. §. ult. juncta l. 4. §. ſi Stichus, f. de ſtatu liberi: docent Tiraquellus de retract. gloſſ. 11. §. 1. n. 21. Donellus ſibi contrarius l. 5. comment. c. 21. Oſualdus l. 1. Donelli c. 18. litt. D. Franciſcus de Amaja l. 1. obſerv. c. 18. nu. 5. nam licet in his juris locis tempus continuum, non vero utile judicetur; in aliis tamen juris utriuſque teſtimoniis contrarium deciditur, utile videlicet, non continuum tempus exiſtimari, ut in l. 1. §. annus 39. ff. de vi, & vi, l. 3. C. de ædilitiis, l. ſciendum, §. ult. ff. de ædilitio edicto, l. ſi cum exceptione 12. §. poſt annum, ff. quod metus cauſa, l. interdum 19. ff. de minoribus, l. 3. ff. de calumniat. l. 2. ff. quis ordo in bonorum poſſeſſione, l. 1. ff. de diverſis, l. 3. in fine, ff. de accuſat. l. ſi hereditas 28. ff. de ſtatu liberi, l. ſi in diem 46. ff. de condit. & demonſtr. l. quamdiu 6. C. qui admitti, Authentica Ni-

11 Tempus ſemeſtris utile.

BIBLIOTECA CENTRAL

ca Niſi, C. de bonis matern. l. ult. in princ. C. de jure deliber. leg. in rebus 50. Cod. de jure dot. l. 1. Cod. de annali except. c. computationi, de appellat. cap. 1. de in integr. reſtit. l. 6. docet Goveanus l. 1. variar. c. 10. pro quorum textuum conciliatione diſcrimen eſt conſtituendum inter eum caſum, in quo præſcriptum eſt tempus a lege in odium negligentis; & inter eum, in quo præfixum eſt in alicujus gratiam. Primo caſu tempus utile eſt; ſecundo vero continuum: unde cum ſemeſtre in Concilio Lateranenſi aſſignatum ſit præfixum in odium negligentis, utile judicatur, ut poſt claſſicos in c. ſtatutum 3. de præb. in 6. docet Barboſa d. alleg. 126. n. 44. qui etiam ſatisfacit deciſioni textus in d. c. ſtatutum, qui ſupradictæ doctrinæ opponi ſolet.

12 Hoc tẽpus non currit impedito. Deinde circa hoc ſemeſtre ſciendum eſt, non currere impedito, & ſic ob negligentiam inferioris legitime impediti jus non eligendi devolvi ad ſuperiorem, c. ne pro defectu 41. c. fin. de elect. c. 1. hoc tit. in 6. docent plures relati a Barboſa in d. c. quia 5. & alleg. 58. Petrus Greg. l. 27. ſyntag. c. 9. n. 31. & de elect. c. 13. n. 12. Flores de Mena l. 1. variar. c. 3. n. 6. Salgado de protect. l. 3. c. 9. n. 42. Suar. 2. t. de relig. l. 4. c. 5. n. 33. Tambur. & alii relati a Hieron. Garcia t. 2. polit. regul. fol. 22. vulgo enim traditum eſt, contra impeditum agere, nec tempus, nec præſcriptionem currere, quia nihil eſt, quod illi imputari valeat, c. 1. c. cum nobis, c. ex tranſmiſſa, de præſcript. l. 1. §. final. Cod. de annal. except. unde in præſenti caſu, ceſſante cauſa negligentiæ, propter quam inducta fuit privationis pena, ceſſare debet Concil. Lateranenſ. diſpoſitio. Unde nunquam reſtitutio in integrum datur contra lapſum hujus termini, quia ſi adeſſet juſta cauſa reſtitutionis, impediretur curſus ipſius temporis, ſive ſiſteret, ut conſiderat Guttier. l. 1. can. q. 28. n. 6. Dixi ſupra, tempus hoc a die ſcientiæ, ſeu notitiæ computari, quod procedit remotis omnibus impedimentis, tam juris, quam facti, quæ de ſemeſtri computantur; modo culpa non ſit ordinata ad caſum impedimenti: Pinellus in auth. niſi triennale, n. 46. C. de bonis matern. Guttier. ubi proxime n. 8. ſed ex ſe, & ex natura ſua, & a communiter accidentibus ſit ordinata, Barboſa dict. alleg. 126. nu. 40. Menochius caſus 182. n. 49. Valenzuela conſil. 4. n. 71. Multo magis dicendum erit, tempus hoc non currere, ſi per dolum immediati collatoris factum ſit, quominus inferior non eligeret, c. poſtulaſti 15. de conceſſ. præbend. ubi Barboſa, & allegat. 126. n. 84. nec ex culpa ſua commodum reportet, Gonzal. ad regul. 8. §. 3. proœmiali, ex n. 38. Menochius de arbitr. caſ. 182. n. 50. Recte tamen notat Pinellus ubi ſupra, n. 47. in hoc caſu non agi de præſcriptione, cujus effectus eſt tollere jus in futurum; ſed tantum de ſiſtendo curſu temporis præfiniti ad factum gerendum, ut non currat ut decomputetur, propter impedimentum juris aut facti: quæ doctrina ortum habuit ex præclaris deciſionibus legis. 2. §. ſi quis in judicio, legis 4. §. illud, ff. ſi quis cautionibus, legis qui contractus, ff. de militari.

13 Impugnatur tradita doctrina. Sed hæc doctrina impugnatur ſequenti conſideratione; nam impeditus, licet per ſe eligere non poſſit, poteſt tamen procuratorem conſtituere ad eligendum, c. quia propter, §. abſentes, de elect. docent Tambur. t. 1. de jure Abbat. diſp. 5. q. 4. Laym. l. 4. ſumm. tr. 2. c. 12. n. 4. plures apud Garciam t. 2. polit. regul. tr. 9. diffic. 2. dub. 5. ergo illi imputandum eſt, cur non eligeret. Accedit, nam patrono impedito, quominus poſſit eligere, ſeu præſentare, currit tempus a jure præfixum, c. 3. c. cum per te, 27. de jurepatr. ubi cum patronus ob litem conteſtatam ſuper jurepatronatus eſſet impeditus, quominus poſſet præſentare, illi currit tempus, & ſuppletur ab Epiſcopo negligentia; igitur impeditis currit tempus ad eligendum aſſignatum. Facit tandem textus in c. 3. de elect. in 5. compil. cujus verba, & interpretationem ſupra adduximus in c. final. de elect. Sed primæ difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, impedimentum in eligente poſſe oriri ex facto, aut ex jure: facto, veluti ex abſentia; ex jure, veluti ſi ſit excommunicatus. Utroque caſu non currit tempus impedito, quando neque per ſe, nec per procuratorem poteſt eligere: ſi autem per ſe, aut per procuratorem eligere valet, currit tempus, quod nos utique fatemur. Nec augmentum difficultatis refragatur; reſpondendum enim eſt, magnam differentiam verſari inter jus eligendi, & jus præſentandi; nam in jure eligendi non currit tempus legitime impedito, etiam prætextu litis motæ; quia non poteſt negligens dici is, qui agit, & litigat, l. contra mores, C. de inofficioſo teſtam. c. cum dilectus, de conſuet. c. 2. de in integrum reſtit. c. ex parte, de arbitris: probant ordinarii repetentes in dict. c. 3. de jurepatr. Aliud autem ſervatur in jure præſentandi, dict. c. cum per te 27. Ratio differentiæ ex eo provenit, quia jus eligendi provenit a jure communi, c. 1. de elect. jus vero præſentandi ex mera gratia c. decernimus 16. q. 7. c. 2. de jurepatron. contra ſummum jus, de quo in c. noverint, 10. q. 1. c. omnes 16. q. 1. unde mirum non eſt, quod facilius admittatur jus præſentandi, quod eſt accidentale, quam jus eligendi, quod eſt naturale, argumento textus in l. 3. ff. de tutelis, l. ejus 34. §. militia, ff. de teſtam. militis; cum quælibet res de facili revertatur ad ſuam naturam l. ſi unus. §. pactum, ff. de pactis; unde cum juſpatronatus inductum ſit contra juris regulas, ex quibus præſentatio in omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis ſpectat ad Epiſcopum; ideo hoc jus facilius amittitur, & revertitur ad jus commune, etiamſi ob litem conteſtatam impeditus ſit patronus. Aliæ etiam rationes expendi poſſunt, quas adducimus in c. 1. de jurepatronat.

14 Devolutio fit ipſo jure. Elapſo prædicto ſemeſtri, quod de momento ad momentum eſt computandum, ut ſtatutum eſt in aliis terminis a jure aſſignatis, ut in decendio ad appellandum præfixo, c. cum dilectus 32. de elect. c. concertationi de appell. in 6. & ad apoſtolos petendos, c. de eo de appell. in menſe aſſignato beneficiis vacantibus in Curia, c. ſi autem, de præbend. in 6. in confirmatione electionis petenda, c. cum ſit, c. cupientes, de elect. in 6. in duobus menſibus Epiſcopo ægrotanti aſſignatis in c. 1. 5. q. 4. in anno ad profeſſionem præſcripto in c. 2. c. ſtatuimus, de regul. & aliis congeſtis a Ciron. ad tit. de præſcript. Elapſo igitur prædicto ſemeſtri, ſtatim abſque ulla ſententiæ prolatione elector negligens privatur eligendi facultate, c. 2. & ultim. hoc tit. Hoſtienſis in ſumm. hujus tit. nu. 7. unde electio ab ipſo poſtea facta, nullius momenti eſt, ex generali regula, Ea, quæ fiunt de regul. jur. in 6. Barboſa d. alleg. 126. n. 56. qui hujus doctrinæ varias ſubjicit limitationes, inter quas eam ab omnibus receptam invenio, videlicet, etiam elapſo ſemeſtri poſſe electorem Eccleſiam unire; quia diverſum eſt unire Eccleſiam, ac eam conferre. Rebuff. Azor, & alii congeſti a Barb. ubi ſupr. n. 63.

Deinceps ſciendum eſt, hoc jus eligendi, quo inferiores privantur in pœnam negligentiæ, devolvi ad ſuperiorem gradatim, veluti ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſic deinceps uſque ad Romanum Pontificem: diſtinguendi tamen ſunt in præſenti aliqui caſus. Primus eſt, cum negligens eſt patronus in præſentatione, tunc enim devolvitur jus præſentandi ad eum ſuperiorem, cui jus inſtitutionis, ſive collationis ſpectat, c. unic. de jurepatronat. in 6. Vallenſis dict. titul. 20. n. 8. unde ſi ad alium, quam Epiſcopum ſpectet inſtitutio, ad eum devolvitur jus præſentandi: docent Barboſa ubi ſup. n. 65. Dartis de benefic. c. 5. quod procedit ſive patronus ſit laicus, ſive clericus, ſeu perſona regularis; ſemper enim ad ordinarium collatorem devolvitur jus præſentandi, ex noſtro c. 2. & Clem. unic. hoc titul. ſed ſi beficium ſit regulare, & præſentatio ſpectet ad communitatem regularem, devolutio fit ad ſuperiorem regularem, ut ex dicta Clem. unica deducunt Petrus Gregor. l. 17. ſyntag. c. 9. n. 8. Barboſa 3. part. allegat. 126. n. 66. Valenzs conſ. 103. nu. 42. Secundus caſus venit, cum inferior Epiſcopo, non tanquam patronus, ſed aliquo jure ſpeciali, aut privilegio munitus eligere valet; tunc enim eo negligente, ad Epiſcopum jus eligendi devolvitur, ſi ille negligens ſubditus ſit; ſi vero exemptus reperiatur, ad Romanum Pontificem fit devolutio, ex noſtro c. licet, niſi forte Epiſcopus non ſua, ſed Apoſtolica auctoritate procedat, Clem. unic. hoc titul. docet Lother. ubi ſup. n. 68. Tertius caſus conſideratur, cum electio competit Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ut in pluribus Eccleſiis privilegio, ac conſuetudine introductum eſt: quo caſu negligente Capitulo, electio devolvitur ad Epiſcopum, qui eſt immediatus ſuperior, c. poſtulaſti, de conceſſ. præbend. Nec intereſt, quod etiam Epiſcopus, ut Canonicus intereſſe poſſit hujuſmodi electioni; adhuc enim ad ipſum devolvitur jus eligendi, ex dict. c. poſtulaſti: ſed ſi ad ipſum Epiſcopum, & Capitulum ſimul ſpectet electio, tunc negligente Capitulo devolvitur electio ad Metropolitanum, non vero ad Epiſcopum, quæ cum eo caſu unum corpus cenſeatur, negligentia utrique imputatur, c. novit, de his quæ fiunt a Prælat. Non idem procedit, cum ob ſuſpenſionem, qua ligati ſunt Canonici ipſius Capituli, eligere non poſſunt, quia tunc electio devolvitur ad Epiſcopum, c. unic. ne ſede vacant. l. 6. Quartus caſus contingit, cum electio ſpectat ad Epiſcopum tantum: & diſtinguendum eſt, cum electio ſpectat ad ipſum proprio jure, & cum ſpectat jure ſingulari. Si proprio, & ordinario jure, eo negligente, ad Capitulum electio devolvitur, cap. 2. de conceſſ. præbend. ob rationem communionis, quæ inter Epiſcopum, & Capitulum datur, niſi Epiſcopus exemptus ſit, quia tunc ad Romanum Pontificem jus eligendi devolvitur: textus expreſſus in noſtro cap. licet; ſi autem jure ſpeciali electio ad Epiſcopum ſpectet, ejus negligentiam non Capitulum, ſed immediatus ſuperior ſupplet. Barboſa, Dartis, & Valenſis ubi proxime, qui alios caſus proſequuntur.

15 Hæc devolutio fit gradatim.

16 Ratio decidendi. His ſuppoſitis ratio noſtræ concluſionis ex eo provenit, ne defectu Paſtoris Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus grave damnum patiatur. In ſpiritualibus grave damnum patitur, ſi lupus rapax gregem dominicum invadat; ſi enim Paſtor abſit, incurſionibus variis ſuppoſita eſt Eccleſia, cum Prælati officium ſit gregem ſibi commiſſum, & omnium vitam explorare, divina docendo, ut inquit Apoſtolus. In temporalibus ſimiliter, ne Eccleſia damnum ſentiat amiſſione rerum: quare ſex menſes aſſignati fuerunt a Patribus Concil. Lateranenſ. ut quilibet eligeret Prælatum, alias negligens judicaretur; tempus enim ſex menſium ad negligentiam arguendam, & probandam ſolet præſcribi, c. ex tua, de cleric. non reſid. l. 1. Codic. de dilationib. l. ſancimus, Cod. de appellat. & quia elapſo prædicto ſemeſtri electores ipſo jure privati ſunt facultate eligendi, ideo ſi poſtea eligant, nullius momenti eſt electio; & quia eorum negligentia per nullum alium rectius poteſt ſuppleri, quam per immediatum ſuperiorem, dict. cap. ne pro defectu: ideo ſtatutum eſt, ſuperiorem immediatum debere ejus negligentiam ſupplere, & eo etiam negligente per ſemeſtre tempus, alium immediatum ſuperiorem poſſe conferre beneficia vacantia. Faciunt etiam aliæ rationes adductæ in c. ne pro defectu, de election.

17 Neque difficultates ſupra expenſæ adverſantur. Non prima, cui ſatisfaciendum eſt ex ſupra traditis in cap. ne pro defectu. Non ſecunda, ubi dicebamus moram purgari poſſe in omnibus obligationibus faciendi. Nam reſpondetur, in noſtro caſu moram emendari non poſſe: tum quia elapſo ultimo momento ſemeſtris, abſque ulla interpretatione electio devoluta eſt ad ſuperiorem; quare non poteſt per moræ emendationem redire ad negli-

negligentem, ne præjudicium ſuperiori irrogetur, cui ratione devolutionis quæſitum fuit jus eligendi. Tum quia certum juris principium eſt, quod ubi dies, & pœna a lege, vel ab homine apponuntur, non admittitur moræ emendatio, ſed pœna elapſo die ſtatim committitur, *l. ad diem* 77. *ff. de verb. oblig. l. trajectitiæ*, 23. *ff. de oblig. & act. l. magnum* 13. *Codic. de contrah. ſtipul. l.* 2. *Codic. de jure emphyt.* docent Ferret. & Pichar. *ubi ſupr.* Unde cum in noſtro caſu elapſo tempore, pœna privationis ſtatim ſequatur, non poteſt per moræ emendationem evitari. Nec obſtat textus *in dict. cap. litteras*, nam ibi ex diſpenſatione Rom. Pontificis ſuſtinetur collatio elapſo ſemeſtri facta, quæ juxta juris rigorem nulla erat. Nec tandem tertia difficultas refragatur: nam quando devolutio fit ex cauſa delicti, quia indignus electus eſt, vel quia non eſt ſervata forma capitis *quia propter de elect.* diſtinguendum eſt, an omnes ad quos ſpectabat electio, peccaverint, an pars tantum. Si omnes, in Eccleſiis Cathedralibus abrogata conſtitutione textus *in cap. cum in cunctis*, electio non ad proximum ſuperiorem, ſed ad Romanum Pontificem devolvitur, *ex dict. cap. quamquam, de elect. in* 6. in inferioribus vero Eccleſiis viget adhuc conſtitutio text. *in dict. cap. cum in cunctis*. Secundo vero caſu penes eos, qui non peccaverunt, jus eligendi reſidet, *c. gratum de poſtul. Prælat.*

12 Sed adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. conſtitutum* 22, *q.* 1. in illis verbis: *Quod ſi neglexerit, anno expleto interventor alius tribuatur*. In quibus verbis Patres Concil. Carthagin. ſupponunt, tempus electionibus præſcriptum eſſe annum, non vero ſemeſtre; & per negligentiam in eligendo non devolvi jus eligendi ad ſuperiorem. Pro hujus textus vera interpretatione ſciendum eſt, in eo agi de interventoribus, ſive interceſſoribus, qui olim aſſignabantur Eccleſiis viduatis, ne detrimentum paterentur, & ut futuri Prælati electionem curarent, a quibus jus commendarum originem ſumpſiſſe, jam docuerunt Renatus Chopinus *lib.* 1. *monaſt. tit.* 2. *n.* 6. Lantdmet. *de veter. cleric. & monach. l.* 2. *c.* 55. *in fin.* de eis egi *in cap. ne pro defectu*, in ratione dubitandi *de elect.* Jubent ergo Patres, & ſtatuunt in eo textu, quod ſi forſan Eccleſiam vacare contigerit diutius, non ultra annum interceſſor protrahatur, ſed eo remoto, alius apponatur: non tamen negant Patres, per hoc tempus devolvi jus eligendi ad ſuperiorem, ſed tantum ſupponunt, Eccleſiam diutius vacaſſe. Alia dabimus *in c.* 2. *de conceſſ. preb.*

T I T U L U S XI.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Bathon. Epiſcopo*.

Subdiaconos *b* autem nulli niſi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare, quamvis Deo dicatas virgines conſecrandi, & minores ordines his diebus habeant licentiam celebrandi. Sabbato quidem Pentecoſtes non licet alicui ſacros ordines celebrare, cum in ſequenti ſeptimana, recepta Spiritus ſancti gratia, celebrentur.

N O T Æ.

1 a Bathonienſi. Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & poſt Later. *p.* 26. *cap.* 25. ubi reperitur hic text. Bathon. diœceſis eſt in Anglia; cum enim Londini conventus Epiſcoporum celebraretur, decretum ibi eſt, ut Cathedra Epiſcopalis ex oppido parvo in Civitatem Bathoniæ transferretur, & ſic ab eo tempore civitas Bathoniæ Eccleſia Cathedr. decoratur: refert Polydorus Vergilius *l.* 9. *hiſt. Angliæ*. Ejus Eccleſiæ Præſuli etiam reſcribit noſter Alex. *in c. de illis, & ſeq. de deſponſ. impub.*

2 b *Subdiac.*) Temporibus Alex. III. jam gradus Subdiaconatus ſacer erat, & inter majores numerabatur, *c.* 1. *de Cleric. conjug.* dicemus *c. a multis, de ætat. & qual.*

C A P U T II.

a Idem *Herforden. Epiſcopo*.

SAne ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti in Eccleſiiis quibuſdam *b* Scotiæ, & *c* Gualgæ, in *d* Dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, extra jejunia quatuor Temporum Clericos ad ſacros Ordines promovere: pru. t. ſignificamus, quod conſuetudo illa, utpote inſtitutioni Eccleſiaſticæ inimica, & deteſtabilis eſt, & penitus improbanda: & niſi multitudo, & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Nam apud nos ſic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.

N O T Æ.

1 a Herfordenſi.) Herfordia civitas eſt Britanniæ, cujus Præſul ſubeſt, ut ſuffraganeus, Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut refertur Polydorus Vergilius *lib.* 1. *hiſt. pag.* 8. Carolus a S. Paulo *in geograph. ſacra pag.* 166. Cujus Eccleſiæ Epiſcopo reſcribit Alexand. *in præſenti, & in c. ſeq. & in c. intelleximus, de officii deleg. c.* 1. *de dolo, c. ſignificavit* 48. *de appell. c.* 2. *de Clericis conjug. c. ex litteris* 7. *de jurepatr.*

2 b *Scotiæ.*) Scotia antiqua Caledonia dicta, magnæ Britanniæ pars Borealis eſt: Romanis ſubjectam non fuiſſe ex eo cognoſcitur, quod nulla ejus mentio fit in notitia civili. Evangelii luce illuſtratam fuiſſe ſub Cæleſtino Papa teſtantur Proſper Aquitanicus *ann.* 434. *in chron.* ibi: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur a Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur*. Beda *lib.* 1. *hyſtor. Angliæ, c.* 13. ibi: *Anno Dominicæ Incarnationis vigeſimo quadringenteſimotertio, Theodoſii Junioris anno Imperii* 8. *Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes a Pontifice Romanæ Eccleſiæ Cæleſtino primus Epiſcopus mittitur*. Plura de ejus provinciæ origine, & progreſſu tradunt Boetius Lesleus, & Gregorius Buchananus *in ſuis hiſtoriis Schothicis*, Rogerius *in Annal. Anglicis*, Guillelmus Candenus *in deſcriptione Scotiæ*. Eccleſia Scotiæ, licet aliquando ab Eccleſia Romana diviſa fuerit propter celebritatem Paſchæ, & uſum tonſuræ, ut refert Baronius *ann.* 699. tamen ad unitatem Eccleſiæ jamdiu revocata fuit.

3 c *Gualgæ.*) Legendum eſt *Ubaliæ*. Ubalia enim eſt tertia pars inſulæ, juxta umbilicum Angliæ, habet quatuor ſedes Epiſcopales, ut refert Vergil. *libr.* 1. *hiſtor. Angliæ, pag.* 8. Inter Ubaliam & Angliam terminum facit Herefordienſis civitas; unde recte in præſenti caſu commiſſum fuit Epiſcopo Herefordienſi examen conſuetudinis, quæ invaluerat in Scotia, & Ubalia.

4 d *Dedicationibus.*) Dedicationes Eccleſiarum, quæ communiter Encenia dicuntur, Paulus Diaconus *in Juſtin.* Niceph. Calixtus *l.* 17. *hiſt. c.* 27. accepta voce ab Hebræis, apud quos ſimiles feſtivitates Encenia dicebantur, de quibus Dartis *inſt.* 1, *de conſecr. diſt.* 1. & altarium, non ſolum proprio die celebrantur, verum, & quotannis Dedicationis ſolemnitas debet celebrari, *c. ſolemniter* 16. *de conſecr. diſt.* 2. Concil. Mogunt. ſub Carolo Magno, c. 36. Colonienſe 3. *p.* 9. *c.* 11. & in Martyrologio Gallicano, Romano, & Hiſpano paſſim recenſentur Dedicationes Eccleſiarum.

C A P U T III.

a Idem *eidem*.

DE eo autem, quod quæſivit, an liceat extra jejunia quatuor Temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere: taliter reſpondemus, quod licitum Epiſcopis eſt Dominicis, & aliis feſtivis diebus unum, aut *b* duos ad minores ordines promovere: ſed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor Temporibus, aut Sabbato ſancto, vel Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam R. Pontifici, liceat aliquos ordinare.

N O T Æ.

BIBLIOTECA CENTRAL

N O T Æ.

1 a IDem. Ita etiam habetur in Concil. Lateran. *p.* 26. *c.* 25. *& in* 2. *collect. ſub hoc tit.*

2 b *Aut duos.*) Gloſſa in præſenti, quam ſequuntur, Sylveſter, & Innocentius in præſenti, exiſtimat non ſolum duos, verum plures poſſe ordinari, dummodo non fiant ordinationes generales.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. EX his tribus deciſionibus ſequentem deducunt communiter Interpretes aſſertionem: „ Sacri Ordines tantum quatuor jejuniorum Temporibus, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato ſancto conferri poſſunt; minores vero gradus, & virginum conſecrationes diebus Dominicis, & feſtivis: ſecus ordinatus ſuſpenditur; & qui ordinavit, punitur, non obſtante contraria conſuetudine. *Probant textus* in c. 1. d. 55. c. ordinationes, & per totam 75. diſt. *Concil. Cabilon.* 2. *ſub Carolo*, c. 23. *ibi*: Presbyterorum, Diaconorum, & ceterorum graduum inferiorum ordinationes ſtatutis temporibus fieri debere. *Urbanus II. in Concil. Claromont.* act. 2. ante finem, *ibi*: Ne fiant ordinationes, niſi quatuor certis temporibus, & Sabbato mediante Quadrageſima, & tunc protrahatur jejunium uſque ad Veſperas, & ſi fieri poteſt, uſque ad craſtinum. *Gregor. II.* ad Clerum & populum Turingiæ, *ibi*: Ordinationes vero Presbyterorum, ſive Diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis; ſed & in ingreſſu quadrageſimali, atque medio Veſpere Sabbati noverit celebrandas. *Synodus Romana ſub Zacharia*, can. 11. *ibi*: In multis Conciliis hoc ſtatutum eſt, ut primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis Sacerdotum fieri debeant ordinationes; aliqui enim ex noſtris ignorantes annorum ſeriem, illicitam fecerunt ordinationem. *Zacharias Pontifex* ep. 5. ad Bonifacium, *ante finem*: De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, cogente neceſſitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus, & diebus a te promoveri, &c. Bene noſti, quod ſacri canones dicunt, quod aptis temporibus Sacerdotes ordinentur. “ Conc. Carthag. 3. *can.* 44. Rothomag. ſub Joanne, *ann.* 1072. Leo Pontifex *ep.* 55. *& ep.* 79. *c.* 1. *& ep.* 87. Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. Conſonant lex 13. *&* 65. *tit.* 5. *p.* 1. alia juris teſtimonia congeſſerunt Anton. Auguſt. *in epit. juris, l.* 28. *tit.* 6. Creſpetius *in ſumm. v. Ordines*. Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti, & l.* 1. *juris eccleſ. c.* 33. *n.* 177. *& de Epoteſt. Epiſc alleg.* 17. & ad Concil. Trid. *d. c.* 4. Vaſquez 4. *par. in* 3. *diſp.* 246. *c.* 5. Severinus Binius *in notis ad ep. Calixti*, Bellar. *t.* 3. *tr. de jejuniis, c. penult.* Suar. *de cenſuris diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 30. Acunna, & I. Dartis *in d.* 75. *diſt.* Petr. Greg. *l.* 4. *partit. tit.* 4. *c.* 2. *& de beneficiis c.* 37. *n.* 34. Tambur. *de jure Abbat.* 2. *t. diſp.* 2. *quæſit.* 17. Dian. 2. *par. tra.* 15. *reſol.* 28. Vighel. *in meth. juris can. pag.* 253. Gibalin. *de cenſuris pag.* 481. Garcia *in ſumma pag.* 88. Leander *t.* 2. *de ſacram. diſp.* 11. *per totam*.

4 Impugnatur aſſertio variis rationibus. Hæc aſſertio ita illuſtrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima naſcitur ex facto Domini noſtri, quod vitæ noſtræ debet eſſe inſtructio, & exemplar, *c. ſignificaſti* 3. *de elect.* ſed legimus tantum Dominum noſtrum Apoſtolos ſacris ordinibus initiaſſe quinta feria, nocte videlicet cœnæ majoris hebdomadæ: igitur tantum ea die Presbyteri, & alii Eccleſiæ miniſtri ordinari valent. Fulcitur hæc conſideratio; nam quia Dominus eo die confecit chriſma, in alio non poſſunt Epiſcopi illud conſecrare, *c. presbyteri* 94. *c. omni* 123. *de conſecr. diſt.* 4. Synodus Meldenſis *can.* 35. Caſil. Legionen. *de confirm. c.* 3. Vicecome *de ritibus confirm. c.* 19. Menard. *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol.* 65. Igitur ſimiliter, quia Dominus ea nocte ſacramentum Ordinis, non alio tempore, vel die inſtituit, nequit in aliis diebus adminiſtrari. Secunda ex eo oritur; nam gradus Epiſcopalis, & quatuor minores, non minus ſpectant ad ſacramentum Ordinis, quam tres gradus majores, ſive ſacri: ſed gradus Epiſcopalis, & quatuor minores quolibet die Dominico conferri poſſunt, *ex noſtro c.* 1. *c. quanto*, 75. *d.* docent Salcedo *in praxi, c.* 26. Bernal. *de Sacram. diſp.* 46. *ſect.* 3. *n.* 18. Yſambertus *in* 3. *part. D. Thomæ, de Sacram. Ordin. diſp.* 1. *ar.* 3. *n.* 6. Hallier. *ubi ſupr. c.* 2. *ar.* 1. igitur etiam gradus majores omnibus diebus Dominicis conferri valent. Tertia difficultas inſurgit adverſus eam partem deductam *ex c.* 2. *hoc tit.* in qua improbatur conſuetudo conferendi ſacros ordines in diebus feſtivis; nam conſuetudo Eccleſiæ Orientalis ſervatur, & admittitur, qua introductum eſt, ut omnibus diebus indiſtincte liceat majores ordines conferre, ut teſtantur Gloſſa *in c. cum ſecundum, hoc tit.* Hallier. *ubi ſupr. art.* 5. & conſuetudine introduci poſſe, ut quatuor minores Ordines uno die contra juris diſpoſitionem conferantur, docetur *in c.* 2. *de eo, qui furtive*: igitur conſuetudo Scotiæ, per quam introductum erat, ut in diebus feſtivis majores ordines conferri poſſent, obſervari debebat. Quarto adverſus eam partem noſtræ concluſionis, deductam *ex c.* 1. *hoc tit.* ubi docetur omnibus diebus Dominicis Virgines conſecri poſſe, obſtant textus *in cap. devotis* 20. *qu.* 1. ibi: *Devotis Deo virginibus, niſi aut Epiphaniarum die, aut in aliis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis ſacrum velamen minime imponatur*. Et *c. virgines, eadem quæſt.* & non ſunt conſecrandæ niſi in Ephiphania, ac in Sabbato Paſchæ, & in Apoſtolorum natalitiis. Ex quibu expreſſe probatur, non licere omnibus diebus Dominicis virgines conſecrare.

5 De jejunio quatuor temporum. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt ſupradicta aſſertio: pro cujus expoſitione primo ſciendum eſt, inter alia jejunia ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus in Eccleſia ſtatuta, recenſeri jejunium quatuor temporum, quod ab Apoſtolica inſtitutione provenire credimus, cum nullo œcumenico Concilio ſtatutum reperiatur: de eo agitur *in cap.* 1. ubi loco eorum verborum, *quod ter*, legendum eſſe *quater*, jam notavit Baronius *ad ann.* 226. *num.* 25. *& in c. de jejunio, c. ſtatuimus, cum ſeq.* 76. *diſt. c. ordinationes*, 75. *diſt.* Concilium Aurelian. *canon.* 27. alias 29. Gerundenſe *canon.* 2. Cæſaraug. *can.* 2. Troslejanum *canon.* 15. Lemovicenſe *act.* 2. Damaſus *in vita Calixti*, Leo *ſerm.* 1. *de jejunio*, Iſidorus *lib.* 1. *de divin. offic. c.* 37. 38. *&* 39. & alii Patres, tam Latini, quam Græci, relati ab Antonio Auguſtino *in epit. juris, lib.* 21. *tit.* 19. Bellarm. *tom.* 3. *controv. titul. de jejun.* Tinio *in notis ad epiſtol. Calixti Papæ*. Quod jejunium a Judæis jam obumbratum, & obſervatum fuit, ſiquidem illi jejunabant quatuor temporibus, quæ incidebant in menſibus quarto, quinto, ſeptimo, & decimo: ideſt, juxta interpretationem D. Hieron. quæ habetur *in cap. jejunium*, 76. *diſt.* in menſes Julium, Auguſtum, Octobrem, & Januarium, quia cum apud eos annus inciperet a menſe Aprilis, quartus menſis erat Julius. In his ergo menſibus jejunabant Hebræi: quarto, quia Moyſes quarto menſe tabulas legis fregit, *Exodi cap.* 32. quinto, quia eo menſe propter ſeditionem populi exploratores terræ Promiſſionis juſſi ſunt montem non aſcendere, *Num. cap.* 34. deinde quia eo menſe a Tito templum ſubverſum eſt: ſeptimo quia eo menſe occiſus eſt Goliath, & reliquit Jeruſalem diſſipari, *Jeremiæ, c.* 52. Decimo tandem, quia tunc Ezechiel in captivitate poſitus, audivit: *Et cunctus populus captivorum, quinto menſe templum eſt ſubverſum*, ut habet *Ezechielis cap.* 33. Igitur ne Judæis remiſſiores viderentur Chriſtiani, Eccleſia inſtituit jejunium quatuor temporum, per annum diviſum, videlicet verno, æſtivo, autumno, & hiemali. Vernum eſt in Quadrageſima, incipit a quarta feria poſt quartam feriam Cinerum: hiemale poſt quartam feriam in tertia hebdomada poſt diem B. Luciæ: æſtivum poſt Pentecoſten: autumnale in menſe ſeptembris. Concil. Clarom. ſub Urbano II. *can.* 1. *c. ſtatuimus*, 75. *d.* & ſic cum ſingulæ partes totius anni conſtent tribus menſibus illius, ita ſingula temporum jejunia tres complectuntur dies, quaſi ſingulis menſibus ſinguli dies jejunii adſcribantur, ut ſic quatuor temporum primitias Deo reddamus: exemplo petito a jejunio Ninivitarum, qui tribus diebus pœnitentiæ ac jejunio ſe dederunt. Alias hujus jejunii rationes tradiderunt ex Patrum teſtimoniis deductus Hallier. *ubi ſupra, art.* 2. §. 2. ex Medicis petitas: Viringus *libr.* 5. *de jejunio; cap.* 12. Hæc autem jejuniorum tempora non eodem modo diſtribuebantur in omnibus Eccleſiis, referente Div. Iſidoro *lib.* 1. *de divinis officiis, cap.* 37. Primum jejunium in die ſequenti poſt Pentecoſten, ſecundum octavo Kal. Octobris, tertium Kal. ipſis Novembris, quartum Kal. Januar. fiebant: in aliis etiam Eccleſiis diverſimode obſervabantur, *c. conſtitutum*, 75. *diſt.* Et licet hoc jejunium a principio fuiſſet voluntatis, poſtea tamen fuit neceſſitatis, quo modo accipiendi ſunt textus *in cap. jejunium*, 75. *diſt.* Concil. Aurelian. *can.* 27. *&* 29. Turonenſe 2. *can.* 13. Div. Hieronym. *in epiſt. ad Marcellam*, junctis Hallier. *ubi ſupr.* Bellarm. *tom.* 3. *controv. tract. de bonis operib. lib.* 2. *cap.* 19. Jo: Dartis *in d.* 75. *diſt.*

6 De temporibus ordinationum. Secundo ſciendum eſt, primis Eccleſiæ temporibus hæc ordinationum tempora obſervata non fuiſſe; nec enim Apoſtoli, Epiſcopive ab eis per civitates conſtituti hæc tempora obſervarunt; imo nec ſummus Pontifex alio menſe, quam Decembri ordines celebrabat. Poſtea Simplicius I. & Felix III. menſe Februario; Leo III. menſe Martio, & ſic alii relati ab Hallierio *ubi ſupra*, §. 3. Joann. Dartis *in d.* 75. *diſt.* ordinationes fecerunt. Tandem ſtatuta fuerunt tempora quatuor jejuniorum, Sabbatum ante Dominicam Paſſionis, & Sabbatum ſanctum Paſchæ, ut teſtantur Amalarius *l.* 2. *de offic. c.* 1. Rabanus Maurus *l.* 1. *de inſtit. cleric. c.* 23. Micrologus *in obſerv. c.* 24. *&* 25. Honorius *in gemma animæ, l.* 1. *c.* 155. in his enim tantum temporibus majores gradus conferri poſſunt, minoris autem omnibus diebus feſtivis, *c. quod a Patribus, c. fin.* 75. *diſt.* Quibus tamen diebus, & qua hora Ordines conferri debeant, dicemus *in c. litteras, hoc tit.*

7 De pœnis ordinari extra tempora. Tertio præmittendum eſt, ordinatum extra prædicta tempora ſuſpendi ab executione ordinis ita recepti, *c. ſane, hoc tit.* ubi depoſitionis vocem ita interpretatur Gloſſa, cujus ſuſpenſionis diſpenſatio reſervatur Sedi Apoſtolicæ *in c. cum quidam, hoc tit.* ſed poſtea Gregorius IX. *in c. conſultationi, hoc tit.* conceſſit Epiſcopis, ut poſſint diſpenſare cum hujuſmodi ordinatis in exercitio ordinis recepti; non vero, ut ad altiorem gradum aſcendant. Majolus *de irregul. lib.* 3. *c.* 24. *n.* 9. Diana 5. *p. tr.* 4. *reſ.* 193. Et licet jure communi inſpecto non conſtaret apud Interpretes, an hæc ſuſpenſio ipſo jure incurreretur, tamen poſt conſtitutionem Pii II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, certum eſt ita ordinatos ſuſpenſionem incurrere ipſo jure, & poſtea celebrantes irregulares fieri; ait enim Pontifex: „ Quod omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima ſcientia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante legitimam ætatem, vel abſque litteris dimiſſoriis ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumant, eo ipſo irregularitatem incurrant. “ Quæ verba late exponunt Salcedo *in praxi, c.* 42. Hallier. *ubi ſupra*, §. 4. Navar. *conſil.* 4. *in hoc tit. n.* 4. Hanc tamen ſuſpenſionem non incurrunt religioſi extra tempora ordinati, ob privilegia illis conceſſa a Sede Apoſtolica, ut docent Diana *p.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 31. & 5. *p.*